













HERMANNI CONRINGII
DE PVRGATORIO
ANIMADVERSIONES IN IOANNEM MVLMANNVM IESVITAM.

EIVSDEM

PROGRAMMATA SACRA.

Accesserunt I. Mülmanni de Purgatorio Assertiones.





HELMESTADII
Cura HENNINGI MVLLERI Acad. Typ.
CIↃ IↃ CLI.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
DN. FRIDERICO
Heredi Norvvegiæ
Duci Slesvvicensium Holsatiæ Stormariæ
& Ditmarsiæ Comiti Oldenburgi &
Delmenhorsti

FELICITATEM precatur

HERMANNVS CONRINGIVS.

AVdens hunc libellum, SERENISSIME PRINCEPS, in augustum nomen tuum edere, fortassis haud satis ex decoro agere nonnullis videbor, quod & ille ea sit exigua mole, ut quem ambit loco indignus sit, & ipse ego debeam potius ex medico aut philosophico penu aliquid depromere. Non tamen apud teipsum, hisce quidem nominibus, reprehensionem me incurrere scio, virtutis tuæ fiducia fretus. Eam enim illa de sese passim gentium famam sparsit, ut cum tua fuerit injuria conjunctum, si ejusmodi patiar voculis me deterreri. Neque vero ex magnitu-

dine, ſed offerentis animo, ſpectare ſoles conſecrata tibi ἀναθήματα: & ipſemet illuſtri exemplo tuo oſtendis, non uni ſeorſim clericorum ordini religioſæ pietatis curam incumbere. Igitur cum animum obſequio omni & cultu Sereniſſimo nomini tuo devinctum, bona queam fide non promittere duntaxat, verum reapſe etiam, ſi id uſus exigat, præſtare, haud equidem dubito veniam apud te audaciæ huic meæ polliceri. Deus in cujus Eccleſiæ bonum hoc quicquid eſt libelli à me exaratum eſt, & Eccleſiæ & reipublicæ bono Te, SERENISSIME PRINCEPS, diu felicem tueatur.

BENE-

BENEVOLO LECTORI
S. P.

QVum ante hosce quatuor fere annos exemplum Assertionum Johannis Mulmanni de Purgatorio, recenter tum Monasterio ex conventu illo pacifico Germaniæ sibi advectum, pro ea quæ inter nos dudum fuit amicitia, communicasset mecum Vir & pietate & doctrina non minus quam dignitate & munere sanctißimo Reverendus Justus Gesenius, non legi tantum illud, sed etiam quum dies sacri, ut solent, me ad religiosas curas invitarent, & illos & aliquot sequentes visum fuit animadversionibus conscribendis impendere. Isthoc impetu vero quum perfecissem quæ notanda occurrerunt ad theses priores triginta octo, cum tædium fateor cepit ingratæ operæ, tum negotia ordinarii muneris ad plane alia me vocavere. Eoq; abrupi telam: quemadmodum tamen omnia tum erant sub manu nata ita misi amico, nullo mihi exemplo retento. Sed nec illa redierunt ad me nisi superiore anno; nec veltum visa sunt ea quæ absolverem, tantum

abest ut publicarem. Et vero neutrum ut agerem cumprimis etiam permotus sum, quod viderem Mülmannianos conatus esse iam tum sic satis feliciter repressos iis annotationibus, quas Vir Clariss & iam in Academia Julia collega meus Fridericus Vlricus Calixtus, Georgii nostri τοῦ πάνυ filius, una cum Geseniano de Purgatorio libro in lucem edidit. Non adeo pridem tamen mutavi sententiam, posteaquam intellexi ita sibi placuisse Mülmannum & Socios re ab sese gesta, ut non dubitaverint theses illas novo titulo specioso novaque forma indutas in vulgus spargere, passimque etiamnum ostentare quasi earum multa intacta manserint. Quæ quidem gloriatio est vana: veritatis tamen & bonæ causæ interest, ut erroneis placitis, quoad fieri licet, crista penitus præcidatur, imo color omnis, quo sese populo commendat, detrahatur: quod cum uno momento & una opera fieri nequeat, non licet tantum absque vitio eundem laborem sæpius repetere, sed etiam id iubet commodum publicum. Et vero cum strictim in quamque thesin (etsi enim eas quæ trigesimamoctavam

vam

vam inter & quinquagesimam mediæ intercedunt ut tangerem non potuerim à me impetrare, tamen quæ præcedunt iam ante notaveram, quæ sequuntur autem in eas nuper calamum strinxi horis sacris) à me sit animadversum, fortaßis iam denique erubescentes desinent gloriari. Sane ea me tenet bonæ caussæ fiducia, ut quo clarius omnia pateant, & ne quis amplius sit tergiversandi prætextus, ipsiusmet Mülmanni Assertiones, quales illæ mihi in manus venerunt, (nec enim scio num quid altera editione ab auctore in iis sit mutatum) operis huius fini subiunxerim. Adieci vero & septem Programmata, ex Iuliæ nostræ more, quando eius magistratu sum functus, civibus Academicis, circa dies aliquot festos, publice à me proposita; cum quod & ipsa sacri sint argumenti, tum quod eorum divulgatio à multis, & quidem nonnullis magnis viris, sæpius à me fuerit flagitata. Fortaßis vero & illa nonnihil boni fructus attulerint Ecclesiæ Christianæ. Quod si profecto id factum sensero & calcar ad maiora additum mihi existimabo, & hisce quoque sacris

meis

meis studiis multum gratulabor. Sin minus: non dubito tamen saltim pio conatu haud lusisse me operam apud illum, qui pauperis viduæ binos obulos non dubitavit amplißimis donariis anteferre. Vale Lector ac fave. Helmestadii in Acad. Julia IX. Kal. Martii. cIↄ Iↄc LI.

HERMAN.

ANIMADVERSIONES

IN

IOANNIS MVLMANNI
Iesuitæ Monasteriensis

DE PVRGATORIO

ASSERTIONES.

Viro plur. Reverendo Clarißimoq;

IVSTO GESENIO SS. THEOL. D.
Sereniss. Brunsvico-Lyneburgensium Duci
CHRIST. LVDOVICO à Consilijs &
Concionibus sacris, Dioeceseos Calembergensis
Generaliss. Superintendenti &c. Ami-
co meo magno,

S. P. D.

HERMAN. CONRINGIVUS.

QVas transmisisti Mülmannianas de Purgatorio Assertiones, Calixtianæ (ita appellavit eam, cuius tu auctor es) & Crocianæ disputationi oppositas, non inspexi tantum sed & legi. Vere autem usu venit mihi, ut liceat profiteri: ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων. *Voluit apud suos videri Mülmannus quasi quæ abs Te & clarissimo Crocio prolixius sunt disputata minutis illis plagulis everterit: quum tamen pleraque vestra ne verbulo quidem attigerit, alia leviter tantum carpserit, nihil dixerit quod non prius & à suis dictum & à nostris sit confutatum. In eo laudandus, quod calamum à scurrilibus convitiis temperaverit, contra quàm solet Sociorum vulgus, non ferendo, in sacris utique dissertationibus, more: quodque sic satis ingenue, perspicue, & nervose sua proposuerit, quæ boni disputatoris virtus est. Vt multis contra agas, mihi sane non videtur pretium operæ. Satis puto litatum veritati, si scriptum Tuum, quo equidem in hoc argumento nihil vidi doctius, recudi facias adiecto Mülmanniano: facta lectori utrumque arbitrandi facultate. Neque enim Tibi de adversariis victoriam sed unam veritatem (quæ pietas tua est) scio cordi esse: nec video quicquam deesse Tuo veritatis patrocinio. Quod si tamen breves notas adiicere placuerit, nec ia improbaverim. Quæ mihi expendenti hoc argumentum in Mülmannum natæ sunt Animadvetsiones, eas pro amicitia nostra legendas nunc mitto. Vale Ecclesiæ commodo & plur. salve..*

HER-

HERMANNI CONRINGII
ANIMADVERSIONES
In
Ioannis Mülmanni Iesuitæ & Theologi Monasteriensis
DE PVRGATORIO ASSERTIONES.

I.

F*Lammis expiatoriis*) Ejusmodi Ignem purgatorium dari, habetur (fateor) vulgo fidei catholicæ dogma à Pontificiæ sectæ hominibus; merito tamen quis dubitet, num id sit aliis eorum placitis consentaneum. Causa dubitandi est, quod Græci quidam in Florentino concilio in communionem illius Ecclesiæ admissi sint, etsi ignem illum non professi. Formula Vnionis tantum hoc habet. *Si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, & ut à pœnis hujusmodi releventur prodesse eis fidelium vivorum suffragia.* Non multo ante cusam illam formulam autem dixerant quidem isti Græci, nonnullas animas esse in Purgatorio: addiderunt vero disertis verbis: *quod* (purgatorium scilicet) *sive ignis sive obscuritas sive turbo, sive id genus aliud sit, non referre.* Neque postea ab iis postulatum, ut igneam naturam Purgatorio adscriberent. Ipse Mülmannus *thesi LV.* scribit

Græcos illos dubitasse *de qualitate pœnæ* purgatoriæ, *an scilicet ignis sit, an aliquid aliud.* Iam vero & in Tridentino Concilio Purgatorium quidem est confirmatum: flammis autem illud ardere non definitum. Imo usque adeo ambiguis verbis de Purgatorio locuti sunt Patres illi, ut quid pro fidei dogmate de Purgatorij natura habuerint, haud possis divinare. Certe ab ignis mentione consulto videntur abstinuisse. Intereſt decretum integrum recitare.

Sess. xxv. decr. 1.

Cum Catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta ex sacris literis & antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis, & novissimè in hac œcumenica synodo, docuerit purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari; præcipit S. Synodus Episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, à sanctis Patribus & sacris Conciliis traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæq; ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumq; nulla fit pietatis accessio, à popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari & tractari non permittant. Ea vero quæ ad curiositatem quandam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala & fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaq; pietatis opera quæ à fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta pie & devote fiant &c. Ita sese habet Decretum. Nemo autem non videt haud tangi hoc loco, num in Purgatorio animæ ustulentur nec ne: imò num pœnam aliquam sentiant, an non. Qua de re Græci & alij cum vulgaribus placitis vehementer contendunt. Nec enim hic significatur quænam tandem sit *sana de purgatorio*

torio doctrina: item *quæ sint difficiliores & subtiliores quæstiones* illæ quæ à popularibus concionibus secludendæ sunt: quæ porro sint illa *incerta* vel *specie falsi laborantia*: quænam denique sint illa *ad curiositatem quandam aut superstitionem spectantia, vel turpe sapientia lucrum.* Certe si verba spectes, dixeris, ne quidem id quod veras pœnas purgatorias animæ persentiscant, à Tridentinis esse definitum; tantum abest ut aliquid certi sit constitutum de flamma qua animæ creduntur ustulari. Purgatorium nimirum aliquod statui potest, non admissa ulla pœna, saltim ea quam sensus dicimus. Et vero qui dogma fidei possit esse Purgatorius ignis, si nondum in illo ordine est ignis verus infernalis? quod agnoscit doctissimus hodie Sociorum Dionysius Petavius: Obiter observari meretur, Tridentinos ipsos confiteri, in vulgari de Purgatorio doctrina haberi & *difficilia nonnulla* quæ scire non refert, & *incerta* imo *specie falsi laborantia*, & *curiosa*, *superstitiosaq; nec non turpis lucri* aucupia. Quum vero non indicetur quænam illa sint, adeoque *sana* doctrina ab ea quæ non est sana non distinguatur; ab ipsis illis Patribus pleraque illius vulgaris doctrinæ suspecta reddi, manifestum est. Si tamen ipsis vere fuisset propositum Ecclesiam ab erroribus reformare, profecto debuissent malesanam doctrinam illam notare, ne amplius, ut hactenus, Ecclesiam commaculet. Certe cuum alias nimis faciles sint in definiendo, cur hic adeo suspenso eant gradu, caussam nullam licet comminisci, nisi quod propalatione illa falsæ doctrinæ, populo (qui quam maxime illa deceptus, & per superstitiosa, vana & falsa de Purgatorio dogmata inductus est, omnes pene divitias suas in otiosum clerum congerere) subolere possit, gravibus errori-

bus hucusque Ecclesiam in tanti momenti negotio laborasse, nec fuisse infallibilem: omnemque reliquam de Purgatorio doctrinam suspectam habere ille incipiat.

II.

Magis magisque sensim) Non debet vitio verti Luthero, quod non ipso primo momento omnem veritatis Evangelicæ lucem remotis tenebris perspexerit. Homo fuit: adeoque & humani nihil ab eo fuit alienum. Sensim autem progredi in scientiæ negotijs, communis est humani ingenij conditio. Ne ipsis quidem Apostolis uno eodemque momento cœlitus data est scientiæ omnis perfectio.

VValdenses) Ita est. Nec illi tantum sed & qui etiam avorum memoria horum vestigia presserunt in Bohemia. Quod cum aliunde notum est, tum ex Henrici Institoris, eorum adversarij haud indocti, opere illo constat, cui titulum fecit: *S. Romanæ Ecclesiæ fidei defensionis Clypeo adversus VValdensium seu Pickhardorum hæresin certas Germaniæ Bohemiæq; nationes inficientes*: impresso Olmucij in Moravia, superioris seculi Christiani anno secundo. Nec enim quis alius magis ingenue sese ijs opposuit aut majore eruditione.

Aërius) Aërij ætate purgatoriæ illæ flammæ Papales ignoratæ fuerunt. Saltim itaque noluit ille flammas istas suo dogmate extinguere. Fatemur vero admissa Aërij sententia, cadere altera sui parte & quidem lucrosa illa Purgatorium. Ita enim nihil valuerint suffragia illa quamvis opima.

III.

Orbi Christiano) Nihil æque male habet Protestantes, & omnes bonos atque ipsum hoc. Et merito qui-

quidem. Vt enim errorem toleres, si tamen illi anathematis fulmen annectatur, incipit ille lethalis esse & hæreticum quid sapere.

IV.

Nullus adversariis) Hoc falsum esse, liquido apparet ex ijs quæ ipsemet Mülmannus th. x, xi. & xii. disputat adversus Gesenium & Crocium.

Nisi illos Machab) Etsi ponas libros illos Machabæorum esse vere canonicos, tamen ex citatis verbis istius operis non potest probari, animas demortuorum pœnas aliquas purgatorias experiri: tantum abest, ut hinc probes eas igne ustulari. Vtrumque autem, & quidem cumprimis posterius, quammaxime venit probandum Pontificijs: utpote qui vulgo non tantum simpliciter pœnas purgatorias, sed speciatim flammas expiatorias Ecclesiæ Christianæ sub anathemate obtrudant. Debuisset Assertor ex illo Machabæorum loco per syllogismum conclusionem istam deducere: nec enim Protestantium, imo nec Græcorum ulli, hactenus id est datum.

Prorsus negarent) Non *prorsus* negant Protestantes esse canonicos, voce illa etiam nonnihil laxius accepta: sed vere canonicos, proprieque ita dictos ex more primæ Ecclesiæ.

V.

Iudicium Concilij Carthaginensis) Non multum quidem repugnaverim ego: tamen haud injuria dubitet quis. Ita enim ad canonem Africanæ Ecclesiæ xxiv. notavit doctissimus Iustellus: *Hic canon Carthaginensis concilij extat in collectione canonum Cresconij Africani episcopi nondum edita, sed ibi Machabæorum libri non recensentur, nec in omnibus Græcis codicibus editis & mss.* Verum autem dixisse Iustellum, testantur & codices manuscripti

duo

duo Cresconij, quos continet bibliotheca Academiæ Iuliæ, & codex canonum Ecclesiæ Græcæ vetus, non Ehingeri tantum VVitebergensis, sed & Tigurinæ A. Gesneri editionis. Quarum posterior expressa est ex Gallicana Ioannis Tilij Episcopi Meldensis. Eoque etsi canones Africani post recepti sint ab Ecclesia Græca in Codicem canonũ sive legum Ecclesiasticarum, per Concilium Constantinopolitanum: non tamen & Maccabæorum libri in canonem Biblicum ab illa Ecclesia sunt admissi. Longe alium esse Ecclesiæ istius sensum, docuerit præter Leontium Byzantinum & Ioannem Damascenum libellus Nicephori Patriarchæ qui inter opuscula Petri Pythoei primum locum occupavit. Animadverti hic obiter meretur χρονολογικὸν ἁμάρτημα Mülmanni, qui Carthaginense illud Concilium appellat III, scribitque habitum anno Christi 397, cum constet ex proœmio Actorum Concilij, gestum illud esse post consulatum Honorij XII. & Theodosij IIX, qui est annus Christi secundum Dionysium CCCCXIX. Vt proinde hoc Concilium omnium Carthaginensium, quorum hodie supersunt canones, sit ultimum. In eo quoque peccatum à Mülmanno, quod citet canonem 47. qui est 24. Possit videri hac in re alienis usus oculis.

S. Cypriani, Clementis) cum in horum aliorumque scriptis ne gry quidem invenire sit, quod doceat Maccabæorum libros verè Canonicos esse, tamen audent Socij illi tantos viros auctores laudare, non solum coram imperitis suis auditoribus sed & erudito orbe. Vereor ne hoc sit frontem ferire.

Totius Ecclesiæ antiquioris) Nihil esse falsius probant luculentissima testimonia Melitonis, Origenis,

Athanasij, Hilarij, Concilij Laodiceni, Cyrilli Hierosolymitani, Gregorij Nazianzeni, Amphilochij, Epiphanij, Hieronymi & Ruffini. Cum enim in canonicorum librorũ numero hos non agnoscant, argumento est, saltim illorum ętate *non in tota Ecclesia* libros illos habitos Canonicos. Diserte Hieronymus: *Maccabaeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit.* Ipse Mülmannus th. IIX. scribit, primum ita definitum post Hieronymum ab Innocentio I & Concilio Romano sub Gelasio, *eosq; libros illos in numero esse deuterocanonicorum, qui non statim ab initio, sed paulatim & cum tempore ad priores illos adnumerati sunt.* Nec vero verba Augustini id significant quod hic affirmat Mülmannus. De eorum sensu aliquid dicemus commodius ad th. VII.

Vide & Philostorgium l. 1. c. 4.

Nihil à principio) Mens Calvini est: nihil fuisse mutatum in doctrina fidei salvificæ: ut verba Calixti debent accipi de Ecclesia universali. His positis patet dilemmatis Mulmanniani imbecillitas. Etsi enim forte fatearis ætate Augustini aliquam factam alicubi mutationem circa Canonem, non tamen hinc sequitur mutasse doctrinam fidei & quidem per Ecclesiam universalem. Nec enim illa ætas Canoni isti Ecclesiastico appendit anathema: sed novi hoc est instituti. Qua de re infra iterum.

VI.

Ecclesiæ auctoritatem) Consensum illum Ecclesiæ, Augustino judice, non nisi probabilitatem aliquam dare rei, indicant illa: *non parum tamen est Ecclesiæ universæ auctoritas.*

Qui nihil credendum) Nemo Protestantium *nihil credendum aut faciendum existimat nisi quod in scripto Dei verbo diserte & plane expressum fuerit,* nisi loquaris de jis

quæ ad salutem æternam creditu factuq; sunt necessaria. Esse autem *electa quæ scriberentur quæ saluti credentium sufficere videbantur; inq; iis quæ aperte in scriptura posita, inveniri illa omnia quæ continent fidem moresq; vivendi, spem scilicet & charitatem* : ipsissima sunt Augustini verba.

VII.

VVittackerus Calvini assecla) Quasi scilicet hoc unus vel primus VVittackerus viderit, aut quasi hoc ex Calvini sit schola profectum. Atqui idem jam ante VVittackerum docuit Cajetanus, imo trecentos ante Cajetanum annos Hugo, uterque Cardinalis & quidem Romanæ Ecclesiæ. Optime id monuit, ut solet, Horneius noster libro de *S. Scriptura disput. 11. n. 37.*

Ait Gretserus noster) Si omnia quæ ille affirmat indubitato essent vera, magnam vim haberet hæc responsio. Cui vero ignotus Gretserus? Miror homini non indocto tam inepta excidisse. Augustini vero illustria ista verba ep. 19. etiam ad Maccabæorum libros pertinere quis non merito dubitet? qui illum longe vilius loquentem audit l. 2. contra Gaudentium cap. XXIII. *Recepta est ab Ecclesia* (Maccabæorum scriptura) *non inutiliter, si sobrie legatur vel audiatur* : qui illum audit l. 28. de Civitate Dei c. 36. libros illos excludere, *à scripturis sanctis quæ canonicæ appellantur.* Esto tamen Augustinum non alios canonicos libros agnovisse, quam *quibus eum habuit honorem ut omnem ab illis errorem & falsitatem abesse crediderit*, parique honore censitos tum ab Ecclesia Africana in qua vixit Augustinus: attamen 1. hinc non sequitur Maccabæorum libros omnino ab jis æquatos aliis libris sanctis: nec 2. colligere est eandem fuisse mentem vel antehac vel etiam tum Vniversalis Ecclesiæ: neque 3. credendum est hanc suam senten-

sententiam voluisse illos obtrudere omnibus Ecclesiis tanquam omnino certissimam. Et vero tantum indefinite locutus est sanctissimus Pater: constatq; ex ipso Augustino l. 2. de doctr. Christ. c. 8. tum temporis de libris canonicis non eandem fuisse Ecclesiarum particularium sententiam, adeoque in unum Canonem ab universali Ecclesia non fuisse consensum, multo minus tum fuisse creditum, hac in re sequendam unice sententiam Romanæ Ecclesiæ. Nec enim alias Augustinus doctori Christiano cuilibet scripsisset: *In canonicis scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem sequantur: inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in scripturis canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur catholicis præponat eis quas quædam non accipiunt: in iis vero quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioresq; accipiunt, eis quas pauciores minorisq; auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus alias à gravioribus haberi, quanquam hoc invenire non possit, æqualis tamen autoritatis eas habendas puto.* Augustini porrò illa ætate, imo & post Augustinum, non ab omnibus Ecclesiis libros Maccabæorum in canone numeratos esse, constat profecto ex verbis Hieronymi supra adductis, & exemplo universæ Ecclesiæ Orientalis, imo & Ecclesiæ Latinæ illo perpetuo more, quo Hieronymi prologus Galeatus vulgo Bibliorum codicibus est præfixus, qui utiq; à canone excludit Maccabæorum libros.

Pari ratione dici possit) Minime hoc dici potuit tempore Augustini, utpote quum ea ætate scripta ejusmodi *longa annositate non meruerint de gradu Lectorum Ecclesiæ Christi recitari:* quomodo de libro Sapientiæ S. Pater alibi loquitur.

Canonem accuratè pertexit) S. Augustino in libro qui-

dem de Doctrina Christiana non fuisse propositum, accurate libros vere Canonicos, ab jis qui ita vulgo audiebant propterea quod meruissent legi in Ecclesia, discernere, sed voluisse tantum sine discrimine omnes ita vulgo dictos recensere, judicio accurato alijs permisso, vel ex eo manifestum est, quod recensioni isti proxime præmiserit regulas secundum quas singulorum librorum auctoritas sit à lectoribus æstimanda, iisque statim subjungat hæc verba : *Totus autem canon scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus his libris continetur.* Non potest porro negari, observata illa S. Augustini regula multos libros in exquisito canone retineri non posse : utpote quum constet vel ex S. Hieronymo ea ætate neque omnium, neque complurium, neque earum quæ Apostolicas sedes aut epistolas acceperant, Ecclesiarum de singulis eandem sententiam fuisse, utut in nonnullis unus omnium consensus fuerit.

Temporibus Esdræ) Qui vero potuit scriptum aliquod durante synagoga post canoni illi accedere τῶν θεοπνεύςων librorum; quum ex eo usque tempore synagoga caruerit prophetis, ceu constans est veterum confessio ?

Apud Christianos) De quibusdam ut verum sit, de omnibus adfirmari non debet; nec unquam probaverit Mülmannus.

IIX.

Ab Ecclesia legitime definitum) Ecclesia Vniversalis, imo & quælibet particularis, omnia hæc certo definire numquam olim tentavit, sed ubivis terrarum de quibusdã scriptis semper liberam reliquit omnibus judicandi facultatem. Impossibile vero etiam est, ut certi quidquam de singulis libris possit vel à tota Ecclesia constitui, num illi sint pro Canonicis, h. e. pro scriptis S. Spiritu singulariter id agente per Prophetas aut viros

Apoſtolicos exaratis, habendi, nec ne; cum ab initio Eccleſiæ, de quibuſdam libris varia variorum fuerint teſtimonia, & controverſia ſit de quæſtione aliqua facti; quam teſtibus fide dignis inter ſeſe diſſentientibus utiq; nemo hominum poteſt certo definire, niſi divinitus nova revelatione veritas innoteſcat. Quod æque conſtat inter omnes homines, atque eſt certum, *Eccleſiam novis revelationibus non regi*, ceu loquitur Bellarminus *l.4.de V.D.c.9.*

Hinc enim diſcrimen) Fallitur & fallit Mulmannus. Protocanonici dicti, quorum dignitas apud omnes ſemper in confeſſo fuit: Deuterocanonici qui non ab omnbus nec in parem cum prioribus honorem admiſſi, ſed tamen à multis & magnæ auctoritatis Eccleſiis in pretio ſunt habiti.

Qui non ſtatim ab initio) Si ab initio fuit dubium, non potuit poſtea certo definiri citra novam Spiritus S. revelationem: qualem Eccleſia catholica tamen non agnoſcit. Magis caute etſi ridicule locutus eſt Nihuſius, ejuſdē cum Mülmanno apoſtatici ordinis homo, in ſuo Obelo de libris illis Maccabaicis: *ſemper ab initio ita exiſtimavit Eccleſia catholica noſtra ipſamet per ſuos rectores, vivaq; voce, ut Chriſtus omnia, tradidit: imo ignorare id vel quoq; negare occipientibus privatis quibuſdam, decreto inſuper, in literas relato, pronunciavit X. Kal. Mart. CCCV. per Innocentium I tanquam Regis Chriſti Proregem in terris.* Præ nugis piget recitare reliqua. Eſt autem in eo cautior Nihuſius, quod maluerit fingere fabulas, quam agnoſcere factam in fidei doctrina mutationem per nova incrementa, ex definitione Pontificum: quam impiam doctrinam tamen alij non dubitarunt aperta fronte profiteri, quibus cum videtur facere (certe cogitur facere, ſi velit θέσιν φυλάττειν) Mülmannus. Meras autem fabulas narrare Nihuſium quis

non videt? Primum enim, illius ab initio usque factæ traditionis nullum utique in omnibus scriptis vestigium, nulla vola comparet: commentum itaque est Nihusiani cerebri: ut omnis antiquarum rerum narratio testimonio nullo nitens, mera est fabula. Deinde, si viva voce Romana Ecclesia id sub anathemate ab initio tradidit, qui latuit hæc doctrina, ne de aliis dicam, S. Hieronymum rerum & dogmatum Romanæ Ecclesiæ peritissimum? Ille vero diserte: *Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit.* Si porro catholica per universum orbem Ecclesia in canonicam istorum librorum existimationem jam tum consensit, quî potuit fieri ut Melito, Origenes, Athanasius, Hilarius, Concilium Laodicenum, Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, Epiphanius ab Ecclesiæ catholicæ doctrina discesserint sine hæreseos infamia? Quanto rectius Mülmannus scribit thesi 261! *quis Ecclesiæ antiquioris sensus fuerit, non possumus aliunde commodius quam ex veterum sanctissimorumq; Patrum lucubrationibus edoceri.* Item thesi 29: *Vndenam melius de primitivæ Ecclesiæ sensu constare poterit, quam ex eorum scriptis qui tum cum laude floruerunt?* Quantum opinor pudebit Mülmannum Nihusianæ stultitiæ; certe quod homo ille alibi scribere non dubitat, sese *Ecclesiæ catholicæ personam gestare*, item sese *Ecclesiam suam repræsentare*, tanquam sit novi generis Papa aliquis, non facilè probabit.

Ab Innocentio I) Hæc quantum adversentur nonnullis verbis theseos v, supra jam est animadversum. Falsissimum vero est & illud, Innocentium vel Gelasium voluisse ita definire canonem, *ut non magis liceat de eo dubitare, quam licet nunc dubitare an circumcisio aliaq; cere-*

monia Iudaica servanda sint Christianis è gentilismo conversis. Certe id si illi voluissent, utiq; debuissent hanc suam definitionem, 1. omni Ecclesiæ significare, 2. appenso anathemate, Tridentini concilij more, roborare. Vtrumque requiritur ut tantam vim lex aliqua obtineat. Posterius vero non esse factum, indicant profectò ipsa Innocentij & Gelasij diserta verba, quæ sane nullo fulmine sæviunt. Innocentius epistolam illam suam ad Exuperium Episcopum Tolosanum ita orditur. *Consulenti tibi, frater charissime, quid de proposita specie unaquaq; sentirem, pro captu intelligentia mea qua sunt visa respondi, quid sequendum vel docilis ratio persuaderet, vel auctoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret. Equidem dilectia tua institutum sequuta prudentium, ad Sedem Apostolicam referre maluit, quid deberet de rebus dubiis custodire, potius, quam usurpatione præsumpta quæ sibi viderentur de singulis obtinere.* Capite vero 27. non nisi ita infit: *Qui libri recipiantur in canone brevis adnexio ostendet.* Quod prius attinet, constat utique epistolam illam Innocentij non esse catholicam, sed ad unum Episcopum Tolosanum scriptam, qui ipsum de nonnullis consuluerat: nec postulasse Innocentium, ut vel per Galliam illa promulgaretur, tantum abest alibi. In Africam non missam esse epistolam istam, certe non pro lege admissam, haud obscure est colligere ex verbis cùm Augustini quæ ex libro de Doctrina Christiana jam adduximus, tum ex illis Concilij Carthaginensis, quo clauserunt suum de scripturis canonem: *Hoc etiam fratri & consacerdoti nostro Bonifacio* (Episcopo tum Romano scil. post Innocentium dudum mortuum) *vel aliis earum partium episcopis pro confirmando isto canone innotescat, quia à patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.* Sero

porro

porro demum cum hunc tum reliquas Syricij & aliorum Pontificum usque ad Gregorium II epistolas in Codicem canonum, non Gallicanum tantùm, sed & Hispanum pervenisse, alias probavimus. Certum est, nunquam vel hanc vel alias Papales epistolas aliquam legis auctoritatem in omni Orientali Ecclesia obtinuisse. Ex adverso canon Laodiceni concilij ultimus in Corpus canonum Ecclesiasticum admissus est, etiam ab Ecclesia Occidentali, à temporibus usque Dionysij Exigui interpretis: quem profecto expunxisset, si habuisset illum quasi catholicæ fidei adversaretur. Etsi enim illa ætate nondum obtinuerit mos ille expurgandorum librorum; quis tamen crediderit hæreticum dogma passam esse Ecclesiam inter canones legi? Ad longe pauciorum notitiam quam illa Innocentij venit Gelasij constitutio; utpote quam ne quidem vetus Codex canonum Romanus agnoscat: tantum abest ut in alios Orientalis Ecclesiæ Canonum codices fuerit recepta. Enimvero ut fuerit Innocentio vel Gelasio propositum omni Ecclesiæ canonem illum ceu dogma fidei obtrudere, (quod ut credamus, procul abest) nunquam tamen vel in media Occidentali Ecclesia hoc ita fuisse acceptum, argumento est, quod omnibus seculis non defuerint viri clarissimi qui nemine contradicente prorsus aliud docuerint. Quid? quod sic satis manifesto pateat, ut Carthaginenses patres diserte loquuntur de canone *librorum in Ecclesia legi* solitorum, non autem eorum unde fidei dogmata sunt eruenda, ita nec alio sensu canonis vocem vel ab Innocentio vel à Gelasio acceptam esse. Hinc sane etiam diu post Innocentium vox canonis in illo magis proprio significatu permansit. Ipse Gregorius M. Papa de libris istis ita scribit l. 19.
Moral.

Moral. c. 13: *De qua re non inordinate agimus, si ex libris non-canonicis sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis, testimonium proferamus.* Scilicet ut aliorum novorum fidei dogmatum, ita & hujus de Maccabæorum libris inventum debet Ecclesia primis Tridentinis. Hisce inquam primis ut alia multa hoc debetur. Etsi enim à nonnullis & Florentino id concilio tribuatur; vix tamen hoc fit verosimile, cum in Actis Concilii illius nihil tale reperiatur, & postilla doctissimi quique Hieronymi de Canone V. T. sententiam sint secuti, etiam ex iis quibus Concilium illud visum est dignitatem Oecumenici mereri. Sufficiat in exemplum nunc adducere unum Cardinalem Cajetanum, qui principio commentarior. in Epistol. ad Hebræos non dubitavit scribere: *sortiti sumus Hieronymum regulam discretionis canonicorum librorum.* Hieronymi autem quæ fuerit mens de libris Maccabæorum, notissimum est. Licet proinde invertere ea quæ hoc loco habet Mülmannus in hunc modum. *Facta definitione non licere dubitare*, omnes vulgo Romanæ Ecclesiæ addicti consentiunt: atqui ante Concilium Tridentinum *licuit dubitare* & dubitaverunt plærique, imo in aliam plane sententiam iverunt: igitur ante Concilium Tridentinum non fuit à Romana Ecclesia aliquid contra Hieronymi sententiam definitum. Porro ab Ecclesiæ Romanæ Pontificum determinatione non esse petendum qui libri sint canonici nec ne, docuit utique S. Augustinus l. 2. de doctr. Christ. c. 8. illis verbis: *in canonicis scripturis Ecclesiarum catholicarũ quamplurium auctoritatem sequatur.* Ita sane nemo hodie loquitur Pontificius: quod est argumento magnæ inter dogmata vetera ac nova diversitatis.

Adde Calixt. Ex. de Auct. Script. n. 86 usq; ad 100.

Soluta apud Bellarminum) Bellarmini Gretzeri & alio-

Vide & Calixti Exerc. de Script.

rum φλυαρίαι penitus discussæ, rectius, cum apud alios tum apud Horneium nostrum τὸν πάνυ in præclaro de S. Scriptura opere, videri possunt. Nobis interim licebit Maccabæorum libros habere in censu *voluminum quæ legit Ecclesia ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandum*, cum S. Hieronymo: & cum Ruffino, in numero, *quos legi quidem in Ecclesiis voluerunt, Patres, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam*.

IX.

Ante annos) Vt verum sit, *prope bis mille annos hanc opinionem Iudæorum animos pervasisse, pie & salubriter pro mortuis preces fundi posse*: non sequitur tamen dogma de purgatoriis animarum pœnis tamdiu obtinuisse, multo minus illa quæ nunc feruntur de Igne purgatorio. Certe ut preces pro mortuis sint moris antiquissimi, hæc tamen de purgatorio igne plane nova sunt. Cæterum quorumdam Iudæorum eam fuisse sententiam de precibus pro defunctis, liquet quidem: omnium vero, nequaquam.

At decet) Gesenius Thesi XLI. accuratè distinguit inter factum Iudæ & judicium scriptoris Iuda longe recentioris. Tantum negat ex facto Iudæ posse colligi, sacrificium aliquod esse oblatum pro defunctis. Id ita acceptum esse à scriptore libri, concedit. Verum idem scriptor laudavit etiam αὐτοχειρίαν Raziæ

XI.

Res in aperto est) In populo Hebræo si quando grave aliquod delictum quod in ipso reo puniri non poterat, in notitiam veniebat, usu videtur venisse ut singulari modo placaretur Dominus, ne peccatum illud reliquo populo imputaretur. Huc sane pertinet illud de expur-

gando

gando populo super occiso *Deuteron. XXI.* Non negatur igitur, sacrificium illud Iudæ oblatum esse pro peccato ab occisis illis commisso: at negatur illud cessisse, *ad liberandos à pœnis illos interfectos:* affirmatur vero, id factum *ne toti populo illud crimen imputaretur.* Prima itaque ratio disputatoris nihil ad rem facit: utpote quæ debebat probare, sacrificium illud liberasse à pœnis animas demortuorum. Et vero utut omnem moveat lapidem, ex facto illo Iudæ per bonam consequentiam nunquam illud Mülmannus probaverit. Quod alterum attinet: jam confessus est Gesenius, scriptorem libri Maccabaici, *aliter hoc factum esse interpretatum.* Mülmanni vero erat ostendere scriptorem illum recte judicasse: non autem debuit Gesenio opponere auctoritatem quam viderat jam rejectam. Imo vero debuerat Mülmannus demonstrare, scriptorem illum eo ipso quo probavit preces pro mortuis, etiam probasse pœnas imo flammas animarum expiatorias: neque enim posterius ex priori illo sequitur. Scilicet non negat Gesenius, Epitomatorem illum Iasonis existimasse, preces pro ipsis defunctis esse fusas: attamen hinc non sequitur eundem sperasse aliquam utilitatem à precibus pro animabus adhuc à corpore separatis; qualis tamen speratur in Purgatorio. Et vero fructum precum istarum Auctor ille non nisi Resurrectionis tempore futurum credidit, alias minime. Diserte enim scribit p. 44: *Nisi enim eos qui occiderant resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis.* Ante dixerat oblatum à Iuda sacrificium, *bene & religiose de resurrectione cogitante.* Itaque tantum abest Scriptorem hunc pro Purgatorio facere, ut aperte neget preces quenquam juvare defunctorum nisi in resurre-

ctione. Quod revera est vel nullas pœnas purgatorias animarum separatarum ante judicij extremi diem, vel nullam à pœnis istis per preces liberationem agnoscere. An hic scriptor fecit fortasse cum Pharisæis, qui judicium extremum sub terris crediderunt futurum, solis iis qui per sententiam sunt absoluti resurgentibus; quod docet Iosephus? Ita preces illæ facerent ad judicij divini rigorem temperandum; quo citius possit subsequi resurrectio.

XII.

A Deo fuisse prohibitum) Prohibitum fuisse sacrificium pro mortuis patet ex eo, quod Iudæi prohibiti sint agere quidquam in sacris præter illud quod Mosaica Lege constitutum erat: hoc autem nusquam legitur mandatum. Neque vero satis est si Mulmannus *existimet* hostiam pro peccato etiam defunctis profuisse: debuisset hoc nobis legere ex Mose aut Prophetis, aut certe ex iis quæ ibi leguntur per consequentiam syllogisticam deducere.

Nusquam in scripturis) Baptismus infantum ex Scripturis facile probari potest, fatente ipsomet Bellarmino. Nemo Protestantium vero dicit, id tantum esse institutum à Deo quod *expressis* verbis legitur in sacris codicibus. Vt proinde Mülmanni enthymema (liceat ita nunc cum illo loqui, haud ignaris perperam accipi eo in sensu enthymematis vocem) sit ineptum.

XIII.

Quod ex novo Testamento) Quod Mülmannus nullum aliud pro purgatorio suo igne testimonium adferat ex V. T. id (nisi admodum fallor) argumento est, quæ reliqua à Bellarmino & aliis sunt allata, illa ita à Gesenio

con-

confutata esse, ut Iesuita nullum amplius in iis ausit præsidium collocare. Io! vicit veritas! Quod dictum Apostoli attinet, cum non possit ignorare Mülmannus, varias ejus interpretationes ferri, si boni disputatoris voluisset munere perfungi, utique debuisset suam illam non tantum in medium adferre, sed probare quod hæc duntaxat sit genuina.

XIV.

Chemnitium suum secutus) Num Chemnitium sit secutus Gesenius nec ne, parum refert: dummodo constet S. Augustinum loci illius obscuritatem agnovisse. Cur non dixit vero Assertor, Gesenium in eo Bellarminum secutum esse? hunc sane Gesenius citavit non Chemnitium, nec potest negari recte in partes citatum Bellarminum. Sed fortassis hæc Bellarmini confessio apud Iesuiticæ scholæ neophytos dissimulanda fuit. De eodem vero hoc loco Becanus l. 1. c. 1. n. 18. Manualis sui: *Hic locus plane difficillimus est. 1. quia non satis constat quid intelligendum sit per aurum, argentum, fœnum, stipulam. 2. quid per diem Domini. 3. quid per ignem. 4. quid sit ardere & detrimentum pati. 5. deniq; quid sit salvum fieri quasi per ignem. Vnde Augustinus in libro de fide & operibus cap. 15. diserte scribit, hunc locum esse unum ex iis de quibus loquitur Petrus in posteriore Epistola c. 1. cum ait: in epistolis Pauli quædam esse difficilia intellectu.* Num male habet forte & hoc Mülmannum, quod Gesenius urgeat non esse in fidei controversiis nitendum difficilibus intellectu testimoniis? Atqui omnibus natura cognitum est, principium sciendi notius debere esse conclusione: nec fieri posse ut scientia certa proficiscatur ex principio dubii sive sensus sive veritatis. Æque vero ἀδύνατον est, ut fidem certam qua-

lis ad salutem æternam requiritur, possit parere testimonium aliquod δυσνόητον Contradictionem sane involvit, uti loquuntur scholæ, ἀμετάπτωτον fidei articulum niti dubio scripturæ testimonio. Certe quod unice talibus innititur, id inter salutaris fidei dogmata numerari haud promeretur.

Nam primum nil territi) Primum quod movit illius animum quare non potuerit acquiescere, vix intelligas quorsum pertineat. Esto enim Augustinus, Ambrosius & Hieronymus locum illum acceperint de purgatorio defunctorum, num propterea locus ille non est intellectu difficilis? Si hæc consequentia recta est, profecto contradixit sibi Augustinus, qui alibi verborum obscuritatem est confessus.

Antiqui Patres) Si voluit Mülmannus dicere, *antiquos Patres* unanimi quasi consensu locum illum de igne quodam vero purgatorio interpretari, metuo, ne aut indoctus aut malus sit. Id tamen dicere illum voluisse videtur. Tres tamen tantum potuit adducere in speciem. Chrysostomum, Nazianzenum, Hieronymum, Photium, Theophylactum, alios verba Apostoli accepisse de igne inferni dixerat Gesenius, nec fuit ausus negare Mülmannus.

Interea hos) Ne quidem illud probat Mülmannus, sanctos illos tres Patres loqui de Pontificio igne purgatorio. Etenim in Augustini verbis fit quidem mentio *transitorij & purgatorij ignis*: at profecto hinc non constat de vero igne illum locutum: licet haud negaverim isthoc loci sanctissimum Patrem loqui de pœna aliqua emendatoria, qua defunctorum minuta peccata purgentur. Certum quippe est Augustinum alibi & quidem

Enchir.

Enchir. ad Laurentium c. 68. ignem hunc interpretari, tentationem tribulationis quæ & viventes afficiat, & *c. 69.* affirmasse tantum, *incredibile non esse quod fiat* etiam post mortem *aliqua per ignem ejusmodi* μετaφορικὸν emendatio, & *utrum ita sit, quæri posse.* Infra ad th. 28. probabimus Augustinum solitum interpretari hunc locum de expiatione viventium, nec agnovisse verum ignem purgatorium: & num post mortem animæ mœrore puniantur dubitasse; quod hodie fidei dogma tamen est. Ambrosius videtur loqui de purgatione per ignem qua totus mundus conflagrabit, sententia ab Origene mutuata. Qua de re infra iterum. Quid quod Auctor Sermonum non sit Ambrosius, sed alius aliquis illo junior? Scriptum illud suppositititium esse, jamdudum summo viro Erasmo Roterodamo fuit notatum: de plurimis sermonibus idem confessi sunt disertè Possevinus & Bellarminus, Mülmanno longe doctiores Socij. Omnes vero ejusdē esse notæ, non dubitavit profiteri Iohannes Costerius Ordinis S. Augustini Canonicus *in Censura tomi 3. oper. Ambrosij.* Hieronymum hunc Apostoli locum de igne infernali accepisse, Dionysius Petavius, Iesuitarum hodie doctissimus, ostendit luculenter.

XV.

Pro omnibus fidei articulis) Nos potius credimus S. Augustino l. 2. de D. C. c. 9: *In iis quæ APERTE in scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moresq; vivendi.* Veritas usque adeo perspicue hic pugnat pro nobis, ut Costerus, non infimus Sociorum, *Enchird. c. 1.* scribat: *Non inficiamur præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Christianis cognitu sunt necessaria ad salutem, PERSPICVE SATIS esse Apostolicis scriptis comprehensa.* Si *omnibus* necessaria

cessaria autem perspicue ibi docentur, omnia omnino docentur necessaria. Nec enim aliam salutis rationem docti, aliam indocti à Deo acceperunt. Et vero quasi natura notum est, Apostolos aperte & perspicue docuisse salutis viam: repugnat vero misericordiæ divinæ, literis (qua unica ratione sincere & fideliter veritas prapagatur) viam illam traditam non esse ad posteritatem. Merito proinde alloquimur nos Papistas, inq; his Mülmannum, iis verbis quibus S. Augustinus olim usus est ad Donatistas *l. de Vnit. Eccles. c. 16. Proferte aliquid quod non egeat interprete, nec unde convincamini, quod de alia re dictum sit, & vos illud ad vestrum sensum detorquere conemini.*

Symbolo Athanasij) Velim discat Mülmannus, illud Symbolum nequaquam esse Athanasij. Poterit autem discere ex libro doctissimo maximi viri Gerardi Ioannis Vossij *de Tribus Symbolis.*

Vt simpliciter audivisse) Non qui, perspicue omnia necessaria tradi in Scriptura, docet, idem vult totidem verbis omnia reperiri. Sufficit, si per evidentem & omnibus facilem consequentiam ea pateant.

Locus evidens & perspicuus) Si non reperitur, non fuerit etiam hæc doctrina de Processione ex Filio inter Fidei articulos numeranda. Num hoc nomine Græcis, qui id negant, ab ipsa Ecclesia Romana unquam sit dictum anathema, viderit Mülmannus.

XVI.

Ex lib. 2. Maccabæor.) Ex Maccabæorum illo loco ne quidem licere fidiculis extrahere sententiam de Igne purgatorio, sed tantum, auctori illi placuisse orationem pro defunctis, in nullius tamen purgatorij ignis solatium,

um, luculente jam ostendimus. Nihili itaque est quod Mülmannus illum locum jactitet pro testimonio perspicuo.

Apostoli locus) Ex verbis Apostoli colligi, quod nonnulli salvandi sint, sed tamen prius quasi castigati, nemo negaverit; si sano sensu accipias.

XVIII.

Et quidem) Bene quod Mülmannus agnoscat vocem *ignis* figurate accipi, & quidem pro igne severi judicij Dei, in omnibus verbis totius loci Paulini, exceptis tantum illis: *salvus erit sed tamen quasi per ignem.* Est sane quod hoc nomine gratias agamus veritatis vindici Deo. Neque vero Valentia & alij ejus Socij istam lucem videtunt.

Cum S. S. Patribus) Nemo Patrum locum hunc accipit *de vero & materiali igne*, quo animæ expientur ante extremum diem. Vnus Augustinus judicavit, non esse veritati absimile, significari hisce verbis ignem aliquem animas expiantem, μεταφορικὸν tamen. Quotquot certe Patrum verba Apostoli interpretati sunt de materiali igne, iidem de illo quo extremo die mundus conflagrabit, aut de infernali, omnia isthæc acceperunt.

Communi doctorum) Hoc ne quidem de doctoribus Gregorij M. ævum secutis verum est. Ex Gesenij th. 51. potuisset Mülmannus discere, Strabum Fuldensem verba Apostoli interpretatum, de igne conflagrationis quem appellant, sive extremi judicij. Neminem certe ex paulo antiquioribus Mülmannus auctorem laudaverit, qui priora Apostoli verba de igne per tropum, ultima de materiali flamma intellexerit. Ne quidem sequioris ævi multos ita interpretantes produxerit. Vsque adeo

Vide Calixti annotation. ad n. 40.

D pene

pene cunctis visum est, in omni illo Apostolico sermone vocem ignis unum idemque significare.

XIX.

In reliquis omnibus) Nemo prudens in hunc modum argumentabitur: certe Gesenius non ita argumentatur. Cæterum inter leges interpretandi est, uti verba ejusdem contextus eadem in significatione accipiantur, nisi evidens absurditas, qualem commisisse illum qui sive dixit sive scripsit aliquid nequaquam est verosimile; manifeste ostendat aliter illa accipienda. Citra necessitatem nihil esse immutandum certum est. Cæteroquin sane licuerit ex quovis sermone quidlibet effingere. Qua de re alias, Deo volente, latius. Itaque fiat in hunc modum argumentatio: In toto illo sermone præcedente omnia sunt figurata, & vox ignis itidem figurate accipitur, neque ulla est evidens ratio quare in illis duntaxat verbis, *salvus erit quasi per ignem*, necessario propria significatio debeat observari; proinde ut alias ante ita & hîc vox ignis μεταφορικῶς est accipienda. Hoc argumentum nescio an frivolum appellare ausus fuerit Mülmannus.

Tropo opus est) Opus est, quoniam omnia alia sunt τροπικά, & nihil est quod indicet, tantum illa tria aut quatuor verba propriè accipienda. Accedit quod hæc interpretatio sermonem Apostoli faciat absurdum. Constat quippe judicium discussionis quod appellant Scholastici, aut severi & stricti judicij Dei pertinere quam maxime ad extremum judicium. Quod si igitur priora Apostolici sermonis sunt intelligenda de igne divini judicij, profecto ultima illa de vero igne minime sunt accipienda. Talis enim fuerit intellectus verborum Apo-

ſtoli. Si alicujus opus approbatum fuerit extremo Dei judicio, quæ conſentanea ſunt præmio donabuntur: Si cujus opus & laborem rejecerit divinum illud judicium, mulctabitur ille: homo ipſe tamen ſervabitur per verum ignem purgatorium. Hic profecto ſenſus eſt abſurdus & ridiculus. Qui enim ſalvus jam factus eſt vi ignis purgatorij, illius, juxta etiam Pontificios, opera in extremo judicio non amplius jure poſſunt à Deo improbari, nec talis aliquis jure poterit mulctari: quod ſi mulctatur non jam tum ſalvus factus fuerit per ignem purgatorium.

Nec novum aut inſolens) Ex parte hoc concedi facile poteſt: modo attendas ne commutentur acceptiones citra neceſſitatem. In exemplis adductis manifeſta eſt illa neceſſitas, quaſi cogens.

XX.

Particula quaſi) Fingit objectiones Mülmannus nullius roboris, easque tanquam ſint vel à Geſenio vel à Crocio propoſitæ confutat. Niſi fallor eſt hoc propemodum cum larvis luctari. Nemo ex una vocula *Quaſi* argumentum cudere ſolet. Ne quid diſſimulem tamen, nihil aliud videntur verba illa *quaſi per ignem* ſignificare, quam ſi dicas, *tanquam ex incendio*. Vt indicetur ſcil. quam ſit difficile factu, ut illi, qui ſuper fundamento inepta ſtruxerunt, animæ ſalutem obtineant.

XXI.

Ad ſecundum) Si omnis ille ſermo Paulinus de uno eſt eodemque igne accipiendus, quod probavimus, facile apparet robur ſecundi argumenti. Neque enim de Igne purgatorio ſuo dixerint Pontificij, eo ſimul probari & examinari opera quævis hominum, ſed tantum

vindicari venialia peccata. Neque dicit exserte Paulus ζημίαν istam ab igne fore. Potest sane illa aliunde esse, sicut aliunde est merces illorum quorum opera ab igne manebunt incombusta. Cæterum parum refert si fateamur ζημίωσιν illam ignis effectum esse: certum tamen est, eundem ignem etiam probaturum omnia opera: quod Igni Purgatorio Pontificio nequaquam convenit. Imo si illa ζημίωσις contingit per exustionem operum, exustio autem non fit ab igne purgatorio secundum ipsummet Mülmannum, qui poterit illa ζημίωσις esse ab igne purgatorio?

Ad tertium) Cum non nisi de uno eodemq; igne sit Apostolo sermo, nemini non liquet, inane hoc esse Mülmanni effugium.

Ad quartum) Hoc unum argumentum profecto jugulandæ novæ illi & insolenti interpretationi satis est. Nusquam in sacris literis Domini dies aliter accipitur atque de extremo judicij die. Itaque quod scribit Mülmannus: *videtur Apostolus per diem Domini intelligere diem judicij tum particularis tum universalis*: non potest videri iis qui sequuntur receptam scripturis loquendi rationem. Quin illa ipsa vox *videtur*, prodit timidam Mülmanni conscientiam: ne dicam quam illa non deceat eum qui probare debebat. Certe loqui Apostolum de negotio ad ultimum illum diem pertinente, passiva omnium primæ Ecclesiæ Patrum fuit sententia: nisi quod Augustino placuerit agi simul de aliquo ad hanc vitam facientе, quod tamen forte etiam animis defunctorũ conveniat.

Vide verba Esthij in Calixti notis ad p. 54.

Quod si qui Patres) Plærosque Patrum accepisse Apostoli verba de Igne, sive infernali sive eo quo mundus conflagrabit, jam diximus. Augustinum non nihil secus inter-

interpretatum esse, itidem jam monuimus. Nemo tamen qui materialem ignem hîc intellexit, de Igne Purgatorio animarum Pontificio vel cogitavit: quantum ex monumentis superstitibus colligere est.

XXII.

Tertium fundamentum) Miror à Mûlmanno pro fundamento purgatorij adeoque dogmatis Fidei jactitatum esse Apostoli dictum, quod nemo fortassis Christianorum ante aliquot Socios & recentiorum alios in eo sensu accepit. An verosimile est, universam per tot secula Ecclesiam non potuisse in verbis istis Fidei illud placitum observare? Vsque adeo autem hæc interpretatio caret specie veri, ut Bellarminum (quem principem hac parte sequutus est Mûlmannus) ipsa illa lumina Societatis Cornelius à Lapide *in Commentar.* & Ioannes Maldonatus ad Luc. XII. v 49. deseruerint: fatente etiam Salmerone: *locum hunc non adeo perspicuum esse ad quem morem & ritum alludat Apostolus.*

Plurimi interpretantur) Inepta ratio colligendi. Debuisset Mûlmannus ostendere, non tantum ita accipi à nonnullis isthæc verba, sed omnino alium sensum admitti non posse.

Si recte & laudabiliter) Baptisma illud de quo agit Apostolus opus fuisse nequaquam rectum & laudabile, paulo post apparebit clarissime.

Vtiq, erit locus aliquis) Concesso antecedente, non ita formandum fuit consequens: sed ita: *E. datur locus, ubi animabus, quæ ustulantur, illa possint prodesse.* Nec enim si probaveris dari locum ubi mortuis possint prodesse viventium jejunia & orationes, jam probasti ignem purgatorium, qualis ille pro dogmate catholicæ fidei

D 3 vendi-

venditatur. Ad hoc, poteſt aliquid prodeſſe mortuis poſtquam reſurrexerunt. Et vero illos de quibus loquitur Apoſtolus, baptiſmi ſui fructum ſperaſſe non niſi à reſurrectione, manifeſto indicant verba: *alioquin quid efficient qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgant?* Si utilitas illius baptiſmi pertinet ad animas ſeparatas, nulla profecto vis eſt in Apoſtoli collectione.

XXIII.

Cur enim quærit) Quidni quærat, cum nuſquam ita ſoleat loqui Scriptura, nec mos vulgaris loquendi id permittat? Nec enim licet vox baptizari ſemel atque iterum accipiatur pro affligi; ergo etiam *affligi pro mortuis* ſolet ſcriptura enunciare phraſi illa, *baptizari pro mortuis*.

XXIV.

Alterum poſtulatum) Maxime id facit adverſus Bellarminianam illam interpretationem vocularum *pro mortuis:* quaſi hoc ſit: *ut mortuorum animabus bene ſit*. Clariſſime ſiquidem liquet, qualiſcunque tandem intelligatur Baptiſmus, illum inſtitutum eſſe à nonnullis, quod *profuturum exiſtimarent ad ſpem reſurrectionis*, ut loquitur Tertullianus: ſtatus autem animæ ſeparatæ & reſurgentis hominis planè inter ſeſe diverſi ſunt; & poſſet fortaſſis aliquid juvare animam ſeparatam, etſi nulla foret ſubſecutura reſurrectio.

Vt pro una haberentur) Falſiſſima hæc ſunt. Soli enim apud Iudæos Sadducæi & reſurrectionem pariter & animarum immortalitatem negabant. Eſſæos immortalitatem agnoviſſe, non tamen corporum reſurrectionem, manifeſte liquet ex iis quæ narrat Ioſephus l. 2. de bello Iudaico c. 7. De Phariſæis idem l. c. ſcribit: *Phariſæi*

tradunt

tradunt omnem quidem animam incorruptam esse, transire autem in alia solas bonorum, improborum vero interminabili supplicio cruciari. Alibi l. 18. Antiquit. c. 2: *Pharisæi,* inquit, *animas credunt esse immortales, & sub terris earum judicia fieri, tum præmia cuiq; contingere ex virtutis aut malitiæ merito: & has perpetuis damnari carceribus, illis facilem esse ad vitam reditum.* Pharisæi ergo itidem impiorum animabus immortalitatem non denegarunt; earum cum corporibus reductionem tamen haud admiserunt. Et vero hæc sententia cum reliquo Pharisæismo post inter Iudæos invaluit, ut hodieque eam amplexentur. Porro res utique Apostolo Paulo fuit cum Corinthijs ex paganismo conversis: quos immortalitatem animarum negasse non est verosimile; quidam tamen illorum resurrectionem opinati sunt non amplius exspectandam. Constat præterea multos illius ævi hæreticos negasse carnis illam salutem: quorum nemo tamen accusatur negatæ animarum sempiternitatis. Quid, quod illo Apostolorum tempore omnibus gentibus (si paucos inter illas exceperis) persuasa fuerit immortalitas animarum: & tamen omnibus illis visa fuit ridicula de corporum resurrectione doctrina?

Nec immerito) Non debebat Mülmannus probare quod resurrectio corporis probabiliter credatur, sed ita tum vulgo persuasum fuisse, omnibus aut plærisq; animarum immortalitatem affirmantibus.

Quæ illatio nulla esset) Sane nihili esset illatio si ita sese haberet, cum diserte Christus dixerit: *De resurrectione non legistis quod vobis dictum est:* & Sadducæi aliquid moverint non contra immortalitatem animæ sed ipsam corporũ resurrectionem. Vis disputationis hæc est: Quorũ hominum Deus est Deus illi si amplius non sint in vivis, resurgent.

ſurgent. Probatur conſequentia: quia Deus non eſt Deus mortuorum, hoc eſt juſtus ἐυεργέτης eorum hominum qui omnimodo ſunt mortui, adeoq; nec actu nec potentia vivunt. Non vivit autem δυνάμει is homo qui eſt mortuus, niſi pariter vitam cum corpore aliquando recuperare aptus ſit. Nec vero etſi anima ejus ſuperſit, homo ipſemet vivit: nec hominis illi toti bene eſt, cujus corpus omnino perijt.

Simile eſt illud) De eo jam tum ſupra dictum eſt. Antequam vero hunc locum deſeramus obſervandum eſt: accurate inſpicientibus non poſſe non apparere, vicarium illud nonnullorum baptiſma rem fuiſſe Apoſtolo improbatam. Hoc autem poſito facile liquet cadere ſuapte ſponte Mülmanniana iſthæc. Prius uſque eſt adeo ab eximio Calixto noſtro *l. de Reſurrect. c. 7. n. 17.* egregie oſtenſum; ut meis verbis melius exponi nequeat. Ipſum audiemus: *Ipſe ſermo, & loquentis ſive ſcribentis geſtus, indignantis & reprehendentis videtur eſſe. Expendantur preſſius verba; Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis? Si omninò mortui non reſurgunt, ut qui baptizantur pro mortuis? Ea repetitio animi ægrè ferentis argumentum eſt. Neq; dicit Apoſtolus:* τί ποιήσομεν, *ſed* τι ποιήσουσιν, *item* οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν *ubi articulus* ὁρισικὸς *innuit haud paſſim & ab omnibus Chriſtianis id factitatum fuiſſe, neq; pro quibuſvis mortuis, ſed ab aliquibus & pro aliquibus* οἱ δεῖνα ὑπὲρ τῶν δεῖνα. *Nonnulli ſuperſtitioſi pro quibuſdam, quorum defunctorum ſollicitudine anxie tenebantur, & ſalutem hoc pacto promoveri poſſe fruſtra ſperabant. Aliàs & ubicunq; fieri poteſt, cum reliquis fidelibus & jis, quibus ſcribit, ſeſe conjungere amat Apoſtolus, ut paſſim in ejus epiſtolis licet animadvertere. Si res, de qua hic loquitur, ab omnibus fidelibus recepta eſſet, vel licita modo,* aut

Vide Eraſm. & Grotij Annotat. ad 1. Cor. XV.

aut ipsi probaretur, utiq; sese conjungeret; saltim sese tam manifesto non disjungeret & separaret. Τί ποιήσουσιν, inquit, οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν; *si mortui non resurgunt, quur illi pro mortuis baptizantur? quur etiam nos spe resurrectionis subnixi nulla pericula reformidamus? Evidens disjunctio eorum de quibus præmittit, à semetipso aliisq; de quibus subjungit. Quasi dicat: Illi quidem quod faciunt, per errorem faciunt; nos quæ patimur, certa & vera divinitus edocti patimur. Vtriq; autem & illi per errorem agentes, & nos firma spe patientes ad resurrectionem respicimus.*

Atq; hæc ex Scriptura Sacra) Ingenui animi signum interpretamur, quod Mülmannus ex N. Testamento, ut etiam ante ex Vetere adeo pauca pro Purgatorio suo adducat. Longe plura attulerat Bellarminus: sed confutaverat Gesenius. Videtur cessisse veritati.

XXV.

Triumphant Catholici) Sane qui vere Catholici sunt merito hic triumphant: qui ita præ alijs affectant audire si triumphant, ante victoriam ille triumphus est.

Quas tum Aërius) Preces pro defunctis nihil facere ad probandum Purgatorium pontificium, infra defendemus adversus Mülmannum. Aërium hæreseos nomine recte damnatum haud nos negamus; cum, ut alia mere ἀδιάφορα, ita & preces illas damnaverit ceu saluti noxias. *Nos Aërio non patrocinamur:* loquitur Augustanæ Confessionis Apologia *Artic. 3.*

Aut ignorantem) Gesenium ab utroque vitio alienum esse, res ipsa docet: nos etiam probabimus. Ex adverso autem patebit, bonum Socium Mulmannum zeli multum, scientiæ habere perparum.

XXVI.

Alij ignem purgatorium diſerte) Miror hic frontem Mülmanni vel certe ejus imperitiam. Non perſuadeo mihi, latere illum quod multi olim in Origenis ſententias prolapſi ſint. Quarum una eſt: Animas piorum omnes expiandas futuro judicij die per ignem quo mundus conflagrabit. altera: igne infernali & dæmonum & impiorum peccata expurganda eſſe per definitum aliquod tempus. eoq; duplicem fore aliquando Purgatorium ignem, alterum piorum, alterum impiorum. Si hæc non ignoravit Mülmannus, qua fronte audet ille jactitare Patrum illos qui *ignem purgatorium aſſerunt*, illum, quẽ nunc Romana Eccleſia profitetur ignem agnoviſſe? Vtiq; enim Romanum hoc dogma ab illo Origeniano multum differt. Si ignoravit, liquet illum veterum placitorum valde imperitum eſſe. Atqui docuerat hoc jam tum Geſenius *th. 65. 67. 68. 69. 70.* & quidem partim ex ipſo Sixto Senenſe. Vt de Geſenio non dixerim, neſcio an Ieſuita noluerit credere Sixto, eò quod ſit ordinis Dominici: quæ eſt inter Dominicanos & Ieſuitas ſimultas. Atqui ſi inſpexerit Socij longe præſtantiſſimi Ioannis Maldonati, (qui linguæ in Proteſtantes profecto fuit improbiſſimæ,) commentarios ad *Cap. Lucæ 11. 35*; videbit ab iſto agnoſci illam de purgatione per ignem quo mundus ardebit opinionem, *fuiſſe Origenis & fere antiquiſſimi cujusq; ſcriptoris.* Si conſuluerit decus hodie Societatis, non minus infeſtum tamen Proteſtantibus, Dionyſium Petavium, inveniet hæc ejus verba l. 3. de Angelis c. 7. n. 7. *Cum appareat non ſatis in errore conſtantem fuiſſe Origenem, ac trifariam omnino eam expoſuiſſe, ut aut diabolos & dæmones pariter, ac damnatos homines ſalvos aliquando fore diceret: aut ſolo excepto principe dæmonum diabolo, cæteros*

omnes:

omnes: aut deniq; solos homines, diabolo & angelis ejus in perpetuum rejectis: priores opiniones duas pauci Catholicorum amplexi sunt. Num. 8. *De diaboli ac dæmonum pœnis terminandis futuraq; liberatione pauci assensi sunt Origeni: de damnatis hominibus plures imitatores habuit opinionis suæ, nondum per illa tempora hæresis inustæ notis. Quam quidem non eadem firmitate omnes adsciverunt: quidam enim plenius, levius alij & quasi cunctanter assensi sunt.* In primo tamen ordine collocat Gregorium Nyssenum & Auctorem commentariorum in epistolas Pauli, qui Ambrosio tribuuntur: in postremo Hieronymum, Ambrosium, Gregorium Nazianzenum, Arnobium. S. Augustinus olim improbavit quidem hoc dogma, fassus tamen est per id esse vulgare. *Frustra,* inquit Enchiridio ad Laurentium, *nonnulli imo quamplurimi æternam damnatorum pœnam & cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt.* Ne quidem ipse hoc dogma damnat impietatis. Imo vero permittit uti quis sentiat, *pœnas damnatorum certis temporum intervallis mitigari.* Ipse etiam ne quidem valde malis ante resurrectionem veniam voluit negare, & peccatorum remissionem. Ideoque cum dixisset sacrificia & eleemosynæ *pro valde malis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt:* statim subjungit: *Quibus autem prosunt aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.*

Theodoretus) Debuisset Mülmannus respondere ad ea quæ Gesenius dixerat thes. 71. si boni disputatoris partes voluisset explere. Alioquin nihil hic est nisi κοκκυσμός Esto vero: illa verba sint Theodoreti; unde constat Theodoreto non fuisse in mente Origenianum ignem?

Gregorius Nyssenus) Dicetur de eo ad thesin proximam.

Augustinus) Dicendum de ejus sententia ad thesin XXIIX.

Nazianzenum) Hunc Origenianum ignem purgatorium utrumque admisisse notaverat jam Gesenius thesi 68. Illum quo impij sunt expiandi, acceptatum Nazianzeno, multis demonstrat Petavius *lib. cit. num. 13. & 14.* Alius alicujus purgatorij ignis Pontificij si fecit mentionem, quur verba non produxit Mülmannus?

Hieronymum) De illo & jam dictum est, & dicetur nonnihil proxime.

Alios) Quinam illi? Vereor ne illos nominatim non ausus fuerit Mülmannus laudare, eo quod nimis aperte Origenizant. Ignis enim purgatorij alicujus fit mentio etiam in Lactantio, Ambrosio, Basilio, Hilario: nec horum minus quam illorum verba in purgatorij sui testimonium adduxerat, confutante illum Gesenio, Bellarminus. Vtinam agnitam veritatem fuisset Mülmannus serio professus!

Novo & inaudito) Nobiscum nata est perpetua lex interpretandi: verba accipienda esse secundum subjectam materiam. Iam vero Cypriano sermonem esse non de animabus defunctorum, sed de lapsis, eorumque poenis Ecclesiasticis, sole est clarius. Quî possint igitur verba illius de animarum poenis intelligi, & non de supplicijs lapsorum? Quid porro est vulgarius quam verba Scripturæ in alium interdum sensum flectere?

XXVII.

Per meram calumniam) Atqui non calumniari dicet Mülmannus, Socium Petavium. Hic tamen omni ex parte

parte Origenianam de Purgatorio igne sententiam esse amplexum Nyssenum, prolixe demonstrat lib. cit. n. 12. 13. 14. 15. & 16. Vltimo loco diserte scribit: *De locis quibusdam Nysseni Origenianum dogma sapientibus, explicandis aut conciliandis nonnullos hoc tempore pie magis quam vere aut etiam prudenter laborare.* Iam olim dogma illud animadversum in Nysseni operibus, eoq; Germanum Patriarcham Constantinopolitanum singulari libro conatum esse id excusare, quasi scripta Nysseni sint adulterata, discere est ex ijs quæ habet Photius cod. 233.

Quid enim ille) Petavij verba sunt: *Etsi Hieronymus alibi contraria quædam dogmata priori scripserit, non tamen efficitur non eum illic, uti diximus, existimasse atque scripsisse: nam sæpe pugnantes invicem sententias variis in locis ponere consuevit.* Nec tamen facile adduxerit Mülmannus verba Hieronymi, quibus ille Christianorum impiorum ex inferno liberationem in Origene damnet.

De pœnis purgatorij) Contra Petavius, & magis ingenue: *Hieronymum perspicuum est, de inferorum ac damnatorum igne & cruciatu loqui, non de purgatoriis pœnis, ut eum quidam interpretari student.* Adducat ergo, si potest, Mülmannus verba Hieronymi purgatorium ignem pontificium probantia.

XXIIX.

De Purgatorij existentia) Atqui definiente ipsomet Mülmanno *th. 1.* flammæ sunt de essentia Purgatorij, prout hodie illud creditur indubitatum fidei Catholicæ dogma: & hic fatetur Mülmannus, dubitasse Augustinum: *an post hanc vitam urantur animæ igne illo doloris de amissione temporalium, quo uri hic solent, cum rebus valde sibi caris carere coguntur.* Quod utique indicat Augustinum

dubitasse; non tantum an ignis purgatorius sit verus ignis sed etiam num sit metaphoricus aliquis qui doloris sensum posset inferre: quorum alterutrum utique est de essentia Pontificij Purgatorij. Nonne igitur verum dixit Gesenius de Purgatorio animarum quale credunt Pontificij, Augustinum nihil definijsse? Clarissime id patet si attendantur ipsa sanctissimi Patris verba: *Tale aliquid* (nempe tribulatio per ignem μεταφορικὸν, dolorem nempe ob amissa temporalia) *etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, & utrum ita sit quæri potest.* Totidem verbis hæc repetit 1. quæstione ad Dulcitium. Idem lib. de fide & operibus c. 16. exponit initio locum illum 1. Corinth. 3. de igne quodam figurato quo homines viventes torqueantur: tandem subjungens: *sive ergo in hac vita tantum homines ista patiantur, sive etiam post hanc vitam talia quædam judicio subsequantur, non abhorret quantum arbitror à ratione veritatis iste intellectus hujus sententiæ.* Quæ verba esse dubitantis animi & quidem de ipsa purgatorij Pontificij essentia dubitantis, sole clarius est. Prodiderat vero hunc animum sub initium ejus dissertationis. *Hic,* inquiens, *à me fortasse quæratur de ipsa Pauli Apostoli sententia quid ego sentiam, & quonam modo intelligendum putem. Fateor hic me malle audire intelligentiores & doctiores.* Similiter l. 2. de C. D. c. 26. itidem ignem illum Paulinum Purgatorium figurate ubi exposuisset urenti quodam sanctorum in hac vita dolore, subjungit. *Post istius sane corporis mortem donec ad illum veniatur, qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis & remunerationis ultimus dies, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum ejusmodi ignem dicantur perpeti, quem non sentiant illi qui non habuerunt tales mores & amores in hujus corporis*

poris vita, ut eorum ligna & fenum & stipula consumatur: alij vero sentiant qui ejusmodi secum ædificia portaverunt, sive ibi tantum, sive & hic & ibi, sive ideo hic, ut non ibi secularia, quamvis à damnatione venialia, concremantem ignem transitoriæ tribulationis inveniant; non redarguo quia forsitan verum est. Potest quippe ad istam tribulationem pertinere etiam ipsa mors carnis, quæ de peccati primi perpetratione concepta est, & secundum cujusque ædificium tempore suo ab unoquoq; suscepta est. Possunt & persecutiones Ecclesiæ, quibus martyres coronati sunt, & quas patiuntur quicunque Christiani. probant utraque ædificia velut ignis, & alia consumunt cum ipsis ædificatoribus, si Christum in eis non inveniunt fundamentum: alia sine ipsis si inveniunt; quia licet cum damno salvi erunt, ipsi non consumentur propter Christi videlicet meritum in fundamentum reperti, qui manet in æternum. Erit etiam in fine seculi tribulatio tempore Antichristi qualis nunquam antea fuit. Quam multa tunc erunt ædificia, sive aurea, sive fænea super optimum fundamentum, quod est Christus Iesus, ut ignis ille probet utraq; & de aliis gaudium & de aliis inferat damnum: neutros tamen perdat, in quibus hæc inveniet propter stabile fundamentum! Ex quibus verbis profecto clarissimum est, Augustino maxime placuisse quod purgatorius Apostoli ignis ad hanc vitam pertineat, de illo autem animarum purgatorio fuisse dubium, illamque sententiam tantum noluisse redarguere.

XXIX.

Malitiose agat) Atrox hæc calumnia est: & tamen illam nolim Mülmanni *malitiæ* sed potius inscitiæ, vel zelo scientia destituto adscribere. Cogitet homo, ne quidem hæreticos (quo nomine nos sui infamant) extra caritatis officia esse positos. *Caritas autem non est suspicax.* Quanto re-

ctius

ctius de Gothis Arrianiſmo infectis Salvianus! *Hæretici ſunt ſed non ſcientes. Errant ſed bono animo errant, non odio ſed affectu Dei, honorare ſe dominum atque amare credentes. Qualiter pro hoc ipſo falſæ opinionis errore in die judicij puniendi ſint, nemo poteſt ſcire, niſi judex.*

Ait eos aut in) Si non recte locutus eſt Geſenius, cur non confutaſti Mülmanne? ſi recte, cur vapulat Geſenius? Iudicet Dominus inter vos & nos. Iudicet, Aſſertor, ipſa tua conſcientia.

Cur nemo ſeſe iis oppoſuit) An poterit negare Mülmannus ſaltim multos Patrum cum Origene hoc in loco impegiſſe? Dixerim jam & ego, cur nemo ſeſe ijs oppoſuit? Reſpondebo, quod Mülmannus non poteſt. Factum eſt hoc, quia primæ Eccleſiæ ætate ejuſmodi, de animæ ſtatu poſt obitum alijſque ſimilibus, curioſæ quæſtiones non fuere creditæ ad fidei dogmata pertinere; eoque unicuivis tum licuit de ijs ſentire pro ſcientiæ modulo; tantum maneret id quod in fidei regula eſt: fore aliquando, *carnis reſurrectionem & vitam æternam*, vel ut Tertullianus *l. de præſcription.* loquitur, *Chriſtum venturum cum claritate ad ſumendos ſanctos in vitæ æternæ & promiſſorum cœleſtium fructum, & ad profanos judicandos igni perpetuo, facta utriuſque partis reſuſcitatione cum carnis reſurrectione.* Neque vero in regula fidei de ſtatu animarum ante extremum diem, olim quid exigi ſolitum. Ad theſin XXVI. adduximus verba Dionyſij Petavij aſſerentis Origenis illas ſententias *per illa tempora nondum fuiſſe hæreſis notâ inuſtas.* Scilicet ex illo demum crevit fidei regula. Et tamen ut loquitur Vincentius Lirinenſis: *Chriſti Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil minuit, nihil addit:*

non amputat necessaria, non apponit superflua. Iudæ Apostoli dictum est: *semel nobis fidem esse traditam.*

Videri vult) Calumnia mera est, responso indigna. Deus maledicæ linguæ parcat in extremo judicio.

Lepidum sane negotium) Ipsi vero etiam Pontificij passim agnoscunt, prima isthac Ecclesiæ tempestate per errorem creditum vulgo, infantibus necessarium ad salutem Eucharistiæ usum. Sunt qui illius ævi Patres omnes à Pelagij sententijs in universum minus cavisse sibi contendant. Si id fieri potuit, quidni & illud potuerit quod Calvinus accusat?

XXX.

Antiquam Ecclesiam) De ea quæ Apostolorum ætate floruit, Gesenius idipsum non dixit. Neque illud ullo potest verosimile reddi argumento: utpote quum apud principem Tertullianum precum illarum memoria reperiatur. Quæ n. 31. & 37. afferuntur quasi pro adversa faciant sententia, illa suo loco confutabuntur.

Ex hoc tamen negat recte confici) Optime. Neque enim conspicua est ratio consequentiæ illius, qua ex oratione pro mortuis Purgatorius ignis colligitur. Imo certum est, syllogismo legitimo nullo ex isthoc quidem principio colligi id posse. Vbi id tentaverit agere Mülmannus, sentiet molæ suæ aquam hærere. Debuisset autem omnino nobis consequentiæ illam vim ostendere, si probum disputatorem, quod par erat, voluisset agere. Nimirum si antiqua Ecclesia disertis verbis orasset animabus defunctorum aliquam à pœnis affligentibus solutionem, haberet speciem collectio. Speciem inquam haberet: non tamen etiam ita probatus esset purgatorius ignis. Etenim & Græcorum nonnulli videntur agnoscere ali-

quas pœnas purgatorias, quas privativas dixeris; atque ab illis ſperant levamen aliquod per preces, eleæmoſynas & alia; non tamen Romanenſem illum purgatorium ignem, aut aliquas alias pœnas ſenſus quæ dicuntur, eapropter admiſerunt. Multo minus ergo nude ita loquendo, ex eo quod quis oraverit pro mortuis poteſt aut debet trahi, quaſi idem voluerit animas defunctorum liberare illis precibus ſuis ex igne quodam, ab infernali tantum mora temporis diſtincto.

Eo quod orationes iſtæ fierent) Certum eſt in precibus antiquiſſimis nullam fieri vel leviſſimam flammæ alicujus affligentis mentionem: ex adverſo preces illas fundi ſolere pro jis tantum, & ſimul tamen pro *omnibus*, quos Eccleſia diſertis verbis profitebatur *quieſcere in Chriſto & pace*. Hinc optima conſequentia colligitur, non eſſe olim creditum, precibus illis animas aliquas defunctorum liberandas è flammis, aut ſimpliciter à pœnis, quæ quieti & pacatæ omnium dormitioni adverſantur. Qui enim cum flammis purgatorijs, imo quotquot cum pœnis ſenſus quæ appellantur conflictantur, illi profecto non quieſcunt in pace, non dormiunt in Chriſto aut ſomno pacis. Erit ea de re iterum loquendum ad theſin xxxv. Quod ſi precibus illis voluiſſent olim ſeſe liberari ab igne purgatorio, utique ſaltim ſemel ejus in liturgicis fuerit facta mentio. Meminiſſet nominatim ſaltim verbulo ignis hujus uſtulantis S. Epiphanius, morem pro defunctis orandi, contra Aërium prolixe defendens, tanquam non inutilem. Quomodo ſane potuerit ille ſilentio ignem iſtum præterire in diſputatione iſthac, ne fingi quidem poteſt. Dixi autem paulo ante, Eccleſiam oraſſe tantum pro jis quos in Chriſto ſciebat requieſcere: & quidem conſulto ſic locutus

ſum,

sum, quoniam existimo nonnullos quidem istius ævi Christianorum etiam pro reliquo omni defunctorum genere precatos, non tamen id Ecclesiæ consuetudine fuisse receptum. Quidni enim illi pro omnibus promiscue oraverint qui Origenem secuti, impiorum omnium, vel certe Christianorum omnium improborum, ex igne infernali liberationem exspectaverunt? Certe animam Falconillæ precibus Theclæ, Trajani Cæsaris intercessione S. Gregorij Papæ ab inferni esse supplicijs solutas, per multis videtur fuisse persuasum: quantum liquet ex Ioannis Damasceni *Oratione de his qui in fide migraverunt.* Quibus igitur ignis etiam infernalis purgatorius est, quin illi orantes pro defunctis impijs liberationem jis desideraverint ab igne aliquo purgatorio, haud dubitamus. Verum tale quid in Ecclesia fuisse recepti moris, nemo dixerit. Sed & jidem oraverunt pro pie defunctis; quos itidem voluisse illos ab igne quodam purgatorio ante extremum diem precibus suis solvere, negamus isthoc argumento, quoniam illos confessi sunt *in pace esse*, & *requie, in somno pacis*, ac *dormire in Christo.* Etsi enim nonnulli pro quibus orabatur in Ecclesia reapse non essent illo loco, tamen quod incertus esset status ille animæ defunctæ, in solatium superstitum communi voto omnes regenerati inclusi sunt. Nec vero est quod dicas, hodieque in Canone Romano pro jis orari, qui requiescant *in Christo & somno pacis*, & tamen credi illos purgatorio igne flagrare. Imo vero contradicere hæc verba Purgatorio, eoq; Canonem illum confectum esse quando adhuc Purgatorium ignorabatur, infra demonstrabimus.

Veterem Ecclesiam hoc fecisse ex fervente charitate) Nullo mandato divino coactos olim Christianos, ut neç antehac

hac Iudæos, ad preces pro defunctorum animabus faciendas, argumento est certissimo id, quod ejusmodi præcepti in Veteris Novique fœderis libris nulla vola nullum exstet vestigium. Porro nec ore seorsim ab Apostolis Ecclesiæ id Catholicæ esse injunctum, ostendunt duorum primorum seculorum scripta Christiana, quorum pars cum sit parænetica, atque precum rationem modumque diligenter edoceat, pro defunctis tamen esse orandum nusquam in ijs quicquam legas. Neque vero hac de re quidquam habet vel Clemens Romanus, vel Ignatius, vel Polycarpus in suis epistolis; non item Iustinus, non Theophilus, non Tatianus, non Irenæus vel ejus ævi alius. Eadem ratio est apocryphorum illius ævi scriptorum, qualia sunt Barnabæ & Hermæ. Silentium autem constans alicujus rei, quæ tamen ut memoraretur exigit ratio sive narrationis sive doctrinæ, certum est ignorantiæ judicium. Taceo ne quidem à sequentis ævi Christianorum plerisque divinum mandatum prætendi, sed Ecclesiæ consuetudinem vetustam. Ex adverso ea tribuitur felicitas, is status animabus separatis pie difunctorum, non in sacris tantum sed etiam reliquorum libris, ut nostris suffragijs aut precibus non sit opus: ceu evincemus infra ad thesin LI. A resurrectione in extremo judicio locum aliquem dari misericordiæ divinæ, atq; hactenus pro defunctis vota rite fundi, exemplo suo nos docuit S. Paulus Onesiphoro his verbis precatus 2. Timoth. 1. *Det illi Dominus invenire misericordiam à Deo in die illa*; *cum* nimirum, *omnes etiam qui sanctimonia pollent misericordia indigebunt*, ut ad h. l. post Chrysostomum loquitur Theophilactus. Ad rigorem illius judicij leniendum, videntur quoque Iudæorum veterum preces pro defunctis spectavisse. Certe Epitomator Ia-

tor Iaſonis precum illarum uſum in reſurrectione tantum agnovit. Quod jam n. XI. notavimus Phariſæorum dogmati valde eſſe conſentaneum: qui judicium crediderunt tempore anteceſſurum reſurrectionem, & ſolos pios reſurrecturos. Ex hiſce vero eſt manifeſtum, preces quas jam tum antiquior Eccleſia cœpit fundere etiam pro ipſis animabus ſeparatis, non niſi ex fervente quodam amore erga defunctos nactas eſſe initium ſuum, idque recte à Geſenio eſſe annotatum.

XXXI.

Non facient tamen.) Per Mülmannum profecto non ſtat quo minus jam tum fecerint. Neque enim ille diſtincte potuit ad objectum argumentum reſpondere, ſed intricat omnia, latebras quærens in longo ſermone. Ejuſmodi nimirum fuit propoſitus ſyllogiſmus. Quicunque orat pro ijs quos eſſe in cœlo, vel paradiſo, vel ſinu Abrahæ, ibique dormire in ſomno pacis ac in quiete exiſtimat, ille ſuis iſtis precibus non intendit liberare eos à flammis, quibus infernalem in modum cruciantur: at vetus Eccleſia tantum pro ijs oravit. Ergo &c. adeoque ex eo quod pro defunctis oraverit priſca Eccleſia, non eſt colligere eandem flammas purgatorias ſeparatarum animarum agnoviſſe, ſed potius eas non agnoviſſe.

Duobus modis) Si vim attendas vocum illarum: *pro aliquo orare*; profecto non niſi unica eſt ejus locutionis ſignificatio. Aliud quippe eſt gratiarum actio, aliud oratio. Hinc fortaſſis quotquot veterum opinati ſunt animas martyrum miſericordia non indigere, non etiam *pro iis oraverunt.* Diſerte Auguſtinus: *non ſic martyres commemoramus ut etiam pro iis oremus, magis ut orent ipſi pro nobis.* Idem ſerm. 17. de verbis Apoſtoli: *Habet Eccleſiaſtica diſci-*

disciplina, quum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ut non pro ipsis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. Injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari. Neque vero his repugnat quod alibi dicit idem S. pater, *preces nostras cum pro beatis funduntur esse gratiarum actiones:* loquitur quippe de beatis illis quorum beatitudo adhuc incerta habebatur; pro illis enim solis fusæ adhuc sunt preces, pro alijs minime: sicut & pro reprobis fuit oratum, sed itidem non nisi illis quorum dubia credebatur condemnatio. Pro reliquis igitur sanctis pij non nisi commemorationem instituerunt. Eoque accurate loquitur Epiphanius hæresi 71. *Pro justis & pro peccatoribus memoriam facimus.* Hodieque distinctio illa observatur in verbis Canonis Romani: *Communicantes & memoriam venerantes inprimis gloriosæ semper virginis Mariæ genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi, sed & beatorum Apostolorum ac martyrum tuorum &c.* De alijs enim defunctis ita: *memento domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis.* Alibi etiam pro sanctis martyribus fusas esse preces, & etiamnum fundi certum est, & urgemus nos maxime. Liturgia Hierosolymitana quæ vulgo S. Iacobi audit: *Memento Domine Deus noster spirituum universæ carnis ab Abel justo usq; ad diem hodiernum, fac ut ibi requiescant in regione viventium.* Liturgia Alexandrina sive S. Marci quæ appellatur: *Animabus patrum & fratrum nostrorum, qui antehac in Christi fide obdormiverunt, dona requiem Domine Deus noster, memor majorum nostrorum qui à seculo sunt, patrum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, episcoporum, sanctorum, justorum, omnis spiritus in fide Christi defunctorum, &c.* S. Ambrosium pro ijs de

quorum

quorum beatitudine nequaquam ajebat dubitandum, quosq; credebat jam cœlum intrasse, eorum tamen animas Deo commendasse, evicit Gesenius. Cyrillus cath. 5. mystag. cum dixisset: *sacrificium hoc offerimus ut meminerimus etiam eorum qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras*, addit: *deinde pro defunctis S. Patribus & Episcopis, denique pro omnibus oramus qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius & tremendi quod in altari positum est sacrificij.* Hi profecto & quotquot ejus notæ sunt alij, precantes pro defunctis sanctis, non possunt dici voluisse Deo gratias agere, sed revera illis non minus quid atq; alijs à Deo impetrare. Verba sane non præ se ferunt ullam gratiarum actionem, sed postulationem. Manet itaque robur argumenti oppositi firmum: Quicunque orat pro defunctis martyribus, aut sanctis quos non dubitat esse in cœlis, non instituit suas illas preces in eum finem, ut liberentur ij pro quibus orat ex Purgatorio. At veterum plurimi ita oraverunt: quod jam probavimus. Fingamus vero cum Mülmanno, pro defunctis orare nonnunquam esse ac pro ijs gratias agere, itidem id faciet pro Gesenio, nempe orationem pro defunctis non innuere statim purgatorium; utpote quum orare pro defunctis interdum sit nihil aliud, quam pro eorum felicitate cœlesti jam parta Deo gratias agere.

Pro iis qui purgantur igne) Suspicabor verba hæc Augustini à Mülmanno descripta esse non ex Augustino ipsomet, sed aliquo alio: cum hæc verba subdole sint supposita ab homine vafro, qualem non crediderim esse Mülmannum. Miror vero hominis qui ausus hoc flagitium

fuit

fuit ſtultitiam, cum locus hic ſit πολυτρύλλητος. Sane in vulgus notum eſt verba S. Patris eſſe: *pro non valde malis*.

XXXII.

Licite pro iis) Non in quæſtione eſt quid liceat nec ne; ne quidem illud quæritur, num qui veterum oraverint ut defunctis remittantur peccata. Eſto enim, & licere idipſum, & à primordio Eccleſiæ fuiſſe in uſu. Non ſequitur tamen hinc, eos qui id precati ſunt Purgatorium pontificium agnoviſſe. Potuerunt enim orare ut defuncto remittatur peccatum, in extremo judicio nimirum, ubi omnes miſericordia quam maxime indigemus. Potuerunt ſperare illis precibus animæ defuncti aliquod majus debito ſolatium vel refrigerium, quo alias propter maculam peccati fuiſſet carendum:, quæ ſententia hodie multorum eſt Eccleſiæ Græcæ. Marcus ſane Epheſius oratione illa quam in concilio Florentino habuit nomine ſuorum contra Purgatorium ignem, ſcribit: *Quod Deus poſt migrationem è corpore peccata remittat iis qui venialia commiſerunt, hoc etiam à doctoribus dicentibus audivimus.* Item: *an per aliquam punitionem, punitionem inquam veluti carceris aut caliginis cujuſdam, an vero ſimpliciter per clementiam Dei & Eccleſiæ preces ipſum placemus, ut talia peccata remittat: de hoc quidem in præſentia dicendi locus non eſt.* Marcum vero propendiſſe in poſterius, patet ex ijs quæ non multo poſt ſubjungit: *Manifeſtum cuivis eſt remiſſionem peccatorum nonnullis vita functis concedi: quonam vero modo, & an per punitionem, & quidem illum per ignem, ne meminerunt quidem in univerſum*: Matthæus nimirum & Maccabæorum libri ſecundi auctor. *Porro quod hæc Purgatorium ignem non inferant, ſole clarius eſt. Quid enim eſt commune remiſſioni*

missioni cum purgatione? Aut enim punitione, aut remissione sive condonatione est opus, & non simul utraque. Hæc Marcus. Parum vero hinc Græcorum reliqui absunt, qui κόλασιν aliquam pro peccatis venialibus admittunt quæ fiat per caliginem. Illa enim voce nihil aliud volunt significatum, quam animæ separatæ aliquem statum minus debito felicem. Pœnam enim sensus quæ appellatur, omnino explodunt. Quum itaque varijs adeo modis possit precatio institui pro remittendis peccatis venialibus animarum separatarum, profecto nihil agit Mülmannus, quasi concessum ponens, quod omnes ejusmodi preces purgatorium ignem arguant.

Istud enim est) Non tam istud est, quam male hinc colligi purgatorij confessionem. Non probat tamen Mülmannus etiam istud, utens nimirum in testimonium scriptis suppositijs & vetus illud ævum mentientibus.

Clemens Romanus) Mirum si Mülmannus ex animi sententia loquatur. Vereor sane ne ille sit exemplum secutus sui Bellarmini, qui itidem cum in hoc loco tum passim alibi scripum illud Clementis Romani ostentat, & tamen solidis argumentis *l. de scriptoribus Ecclesiasticis* probat opus esse adulterinum. Quod num satis sit consentaneum illi laudi, qua vulgo fertur Bellarminum nullius sibi per omnem vitam mendacij fuisse conscium, judicent alij. Post Bellarminum idem ostendit Petrus Halloixius itidem Iesuitici ordinis vir doctus in Notis ad vitam Polycarpi c. 6: ad vitam Ignatij c. 2: in Apologia pro scriptis Ignatij c. 3. Factum idem à doctissimo sociorum Dionysio Petavio l. 2. de doctr. temp. c. 57. & in Annotationibus ad Epiphanium passim. Qui ne quidem, Epiphanio opus hoc visum esse, admittit. Verba ejus sunt ad hære-

fin 70. Audianorum: *De Apostolicis constitutionibus dubitatum à nonnullis præfatur Epiphanius. Quo eodem nomine circumferuntur hodie in octo libros distinctæ: quæ à prioribus ac nihilominus dubiis, quarum meminit Epiphanius, diversæ videntur. Etenim quinque ex illis sententiæ hoc & sequente numero citantur quæ in vulgatis nusquam reperiuntur, imo vero contraria in iis leguntur. &c.* Et sane videtur hoc opus natum demum seculo Christiano quinto, & quidem in officina quadam hæreticorum, certe ibi recoctum & renatum: eoque à Patribus concilij Trullani Canone 2. αἱρετικῆς ψευδολογίας nomine est explosum. Porro præter tres illos Iesuiticæ societatis viros præclaros etiam Antonius Possevinus agnovit: *Turrianum non apud omnes effecisse aut evicisse, Constitutiones illas esse Apostolicas, & legitimas &, à Clemente ipso perscriptas.* Mitto alia. Si hæc omnia ignoravit Mülmannus sane non meretur numerari inter Sociorum Patres eruditos: si novit, qua fronte nobis obijcere audet scriptum illud? Certe & boni disputatoris laudem videtur decoxisse nobis obijciens opus ab omnium Protestantium schola dudum rejectum. Observandum porro Pseudoclementem illum dicere; orandum Deum ut remittat ei peccatum, *cujus animam suscepit.* An quæ purgatorijs flammis ustulatur anima jam dicenda est à Deo suscepta? Fortassis non: sed illa demum quam nullus amplius cruciatus tangit. Certe illa oratio pro defunctis cujus hic meminit Clemens minime favet flammæ purgatoriæ.

Defendit Gretzerus) Rectius laudasset Mülmannus longe doctiorem Gretzero Socium M. Antonium Delrio, cujus singularis liber exstat Vindiciarum Areopagiticarum. Sed fortassis non hic lectus est Mülmanno, ut quem

apparet

apparet Becanum, Bellarminum, & Gretzerum hujus ὑπερασπιστήν, tractasse alijs pene inconsultis. Ita vero & Delrium excepit Hornejus noster præclaro illo de S. scriptura opere ut non dubitem, in Senatu Areopatico secundum illam sententiam fuisse latam, si controversia isthæc aliquando fuisset ejus fori.

Tertullianus) Haud negaverim hunc per preces exspectasse animabus *solatium*, in pœnarum quarundam sive solutione sive mitigatione collocatum. Etenim *l. de anima c. ult.* expresse affirmat, *animam aliquid pensare penes inferos usque ad resurrectionis plenitudinem, modicum quoque delictum luens mora resurrectionis, donec solverit ultimum quadrantem.* Ita vero docuit non Catholicus amplius sed Montanista. Ipse diserte profitetur magistrum suum: *Hoc paracletus frequentissime commendavit, si quis sermones ejus ex agnitione promissorum charismatum admiserit.* Eodem vero spiritu cum agitaretur scripsit librum de Monogamia, unde verba nonnulla adduxit Mulmannus. Cæterum cum aliam pœnam post mortem in statu ante resurrectionem non agnoscat Tertullianus, quam *moram resurrectionis*, h. e. tempus illud quod inter primam & secundam resurrectionem credebat intercedere ex Chiliastarum vulgari tum sententia, ne hunc quidem utut Montanizantem quæsivisse per preces liberationem ab ustulatione, vel contemperationem ignis cujusdam purgatorij, adeoq; ex ejus pro defunctis precatione non posse adstrui Purgatorium Pontificium, sed illud omnino fuisse Tertulliano ignotum, sole est clarius.

XXXIII.

Tres alios) Sane tres hi precum pro defunctis fructum agnoverunt, remissionem peccatorum. Verum

illam remissionem utrum voluerint fieri statim, atque interim dum anima est separata à corpore, an vero judicij extremi tempore, haud satis constat. Sive autem hoc sive illud senserint, non colligere tamen ex eorum vel verbis vel factis licet Purgatorij ignis approbationem. Frustra itaque tam operose hæc adducuntur.

XXXIX.

Notet hic pius lector) Vtique & nos agnoscimus aliquod discrimen. Possunt enim preces pro defunctis fieri ab Ecclesia, & quando sacrificium salutare peragitur, & quando non peragitur. Illa simpliciter habent nomen *orationum*: hæ pars sacrificij sunt memorativi.

Et quæ illa) Agnovit sane S. Augustinus aliquam pœnæ relaxationem posse obtineri per preces. Verum pœnam illam esse aliquam sensus pœnam, & quidem flamma eam infligi, verbis illis Augustini non significatur: ideoque & illa frustra adducuntur cum probandum sit, igne purgatorio aut certe cruciatu affligi animam. Fatemur tamen, & jam tum sumus confessi, non alienum fuisse S. Augustinum ab ea sententia, quæ animas statuit cruciari; certum vero itidem est, non ausum illum præfracte eam & cum appenso anathemate affirmare, secus quam fit à Pontificijs hodie. id quod cummaxime Protestantes conqueruntur.

Eum non alia intentione) Ne levissimum quidem adparet indicium in ijs capitibus, quod Augustinus crediderit matrem suam flammis expiatorijs fuisse ustulatam: & tamen preces Pontificiorum hodie sibi unice habent propositam animæ ex flammis istis liberationem.

Eat itaque nunc) Imo eat & redeat Mülmannus, sed instructus pro Purgatorio suo melioribus ex Antiquitate petitis

petitis testimonijs: vel potius palmam cedat veritati, neque damnet amplius Ecclesiam unde est egressus, quæque ipsum primo pietatis lacte aluit.

XXXV.

Minus obstant illa verba Canonis) Fatemur hodie verba illa ita solere interpretari Pontificios doctores, quemadmodum hic fit à Mulmanno. At vero cum primum Canon ille Romanus est conditus longe aliter fuisse creditum, argumento est ipsa novellæ interpretationis absurditas, imo cum verbis illis plane pugnans interpretatio. Alienissimum enim est à recepta vulgo per omnem terrarum orbem, interque omnes homines, ab omnibus seculis, consuetudine, ut qui patitur gravissima omnium quæ excogitari possunt supplicia, eo ipso tempore recte possit dici *requiescere*, aut *dormire*, & quidem in *somno pacis*, h. e. pacato & tranquillo somno detineri. Sufficit hoc definire omnium hominum consensu. Itaque illa quidem Pontificia doctrina de quiete & somno eorum qui summe affliguntur igne purgatorio, sibimetipsi in adjecto, ut ajunt, contradicit. Sane Stoicis olim decantatum illud fuit: *in Phalaridis tauro si sit sapiens dicturum quam suave est hoc, quam non curo*: explosum tamen itidem fuit doctiorum omnium sententia: neque juvat Pontificios, utpote qui fateantur longe exquisitissimis doloribus affici eos qui purgantur, cum Stoici vellent sapientem suum non dolere. Porro certum est voces illas Canonis missæ Romani ex sacris codicibus esse petitas, adeoque ex usu illorum petendam quoque interpretationem. Atqui in Apocalypsi XIV. 13. mortui qui *requiescunt à laboribus suis*, illi pronunciantur *beati*, & quidem propterea quod *requiescant*: ex adverso qui flammis purgatorijs excoquuntur,

tur, ut hodie docent Pontificij, nondum ſunt beati, adeoque plane contra mentem Scripturæ qui ita uſtulantur dicuntur *requieſcere*. Similiter *in Chriſto quieſcere* utique idem eſt quod *in* vel *cum Chriſto eſſe*. Animas vero quæ *in manu Dei* ſunt, affirmat diſerte Scriptura, non tangi *tormento*. οὐ μὴ ἅψηται αὐτῶν βάσανος, habet phraſis ipſa Græca, & tamen Purgatorium pontificium vere eſt βασανιστήριον. Sed & phraſis illa *in Chriſto quieſcere*, expreſſius utique notat aliquam beatam quietem atque illa *in ſinu Abrahæ quieſcere*. Quieſcentes autem in ſinu illo non affligi igne purgatorio, cenſent ipſi Pontificij. Adhoc perpetuo Scripturæ uſu, *in pace eſſe* nemo dicitur niſi cui bene eſt, quique vivit tranquille. Non autem bene profecto eſt illi qui graviſſimo ſupplicio torquetur, non fruitur ille tranquillitate. Et vero tranquillum vitæ ſtatum ijs qui purgatorio igne ardent ne quidem Pontificij attribuunt. Vere igitur purgatorius ignis ipſi Romanæ miſſæ Canoni aperta fronte adverſatur: & qui formulam iſtam Canonis uſurpant pro ijs quos exiſtimant flammis illis infernalibus cruciari, ſibimetipſis in eo contradicunt. Conveniunt nimirum Canonis verba cum liturgijs aliarum Orienits Eccleſiarum, quarum nulla non flammas purgatorias iſtas reijcit: in Canonem autem ſunt inſerta quando Roma adhuc ignem iſtum purgatorium, qui poſt culinæ ipſius tot pingvia patrimonia attulit, ignorabat; ut multa illius Canonis alia antiquitatem ſapiunt, à receptis hodie placitis & moribus immane quantum diſſidentem.

Certus omnino non erat) At ipſe S. Ambroſius ſe certum eſſe profeſſus eſt, oratione de Satyro fratre: *De iſtius*

beati-

beatitudine nequaquam utiq; dubitare debemus. Quod itaq; hic affert Mülmannus merum est commentum.

XXXVI.

Ex his judicari) Idem & nos cupimus. Et quidem ut idipsum fiat ab omnibus æquis æstimatoribus; imo ab ipsomet Mülmanno, sed ubi larvam infallibilitatis suæ Ecclesiæ nonnihil ab oculis semoverit.

Quomodo cohareat) Quidni bene cohæreant? Ætate Gregorij oppido invaluit, quod Augustini tempore jactis quadamtenus fundamentis cæpit irrepere.

Quantus novitatum hostis) Multum metuo (liceat quod res est conqueri, pace viri & ingenio & doctrina & pietate maximi) ut simpliciter hoc sit verum. Quo auctore alio dixeris cæpisse absolutum prædestinationis decretum? Quam multas ille sententias primus, in omni pene sacra controversia, excogitavit fertilitate uberrimi ingenij? Nec tamen ipsi imputaverim, quod illæ sententiæ primum auctoritate ipsius passim persuasæ inde anathematismis appensis acceperint justo majorem gravitatem, haud exiguo Ecclesiæ incommodo. Porro novitates aliæ sunt de fidei salvificæ rebus, aliæ de alijs minoris momenti, & circa quas etiam errare sine noxa licet. Posterioris generis ab ipsomet Augustino habitam fuisse sententiam suam de Purgatorio, vetant nos dubitare quæ ex illius libris supra adduximus.

Sacrificium pro mortuis) Fatemur hoc institutum antiquum satis esse: sed nihil ad purgatorias flammas facit probandas.

XXXVII.

Nomine Ecclesiæ universæ non comprehendere) Manifesto liquet ex verbis Augustini, *universam Ecclesiam* illi

dici

dici eam quæ tunc erat, minime autem eam quæ floruerat ætate Apostolorum. *Hoc*, ait, *à patribus traditum universa observat Ecclesia.* Ecclesiæ utique illi antiquissimæ Apostolorum nihil à patribus fuit traditum, sed soli illi posteriori. Hæc posterior itaque est illa *universa Ecclesia*, qua de sermo est sanctissimo Patri.

Contrarium patet ex antiquißimis liturgiis) Nescio num serio id dicat Mülmannus: nec enim crediderim illum adeo esse imperitum, ut liturgias istas tantæ credat esse antiquitatis. Si tamen illas obijcere nobis non dubitavit etsi sciret eas à recentiore esse manu, non caret quidem suorum exemplo, sed tamen cogitet qua id fecerit conscientia. Certe minus probe defunctus est partibus eximij disputatoris, utens reijculis adeo & ineptjs testimonijs in re tanti ponderis.

D. Iacobi quam synodus Constantinopolitana) Ne verbulum quidem in Canonibus illius concilij habetur de hac Liturgia. Fabulas itaque narrat Mülmannus. Audiat vero Bellarminum: *Extat Liturgia S. Iacobo attributa, quæ tamen à posterioribus ita locupletata est, ut non facile sit dijudicare, quæ pars ejus liturgiæ S. Iacobum habeat auctorem.* Non adeo pridem Petrus Arcudius l. 3. c. 33. operis de Septem sacramentis, eandem liturgiam citaverat ut genuinam, quaque sit usus S. Cyrillus Hierosolymitanus; attamen in Addendis ostendit prolixe, nequaquam in usu illam fuisse S. Cyrillo, inter alia scribens: *Structura sermonis est adeo elegans, ut nulla ex parte sapiat Hebraismum: idcirco valde est suspecta an ea sit S. Iacobi: & certum est, si ea est Iacobi esse multum immutatam.* Spero ad similem ingenuam παλινῳδίαν adactum iri veritatis vi Mülmannum nostrum

nostrum, modo paulum attentius legerit & sine amore & odio liturgias illas omnes expenderit.

S. Chrysostomus) Cum S. ille pater vixerit aliquot centum post Apostolorum tempora annos, judicet ipse Mülmannus, num sit idoneus testis, & cui tuto fidem possis adhibere ejus quod Apostoli egerunt, si nullum aliud exstet in scriptis antiquioribus testimonium. Optime sane Livius: *Literæ sunt una fidelis memoria rerum gestarum.* Ab Apostolis non esse profectum morem illum orandi pro mortuis, firmis argumentis probavimus nos n. 30. *§. veterem Ecclesiam.*

Clemens Romanus & Dionysius) Ad primam illam auream ætatem non pertinere quæ illorum nomine circumferuntur, jam tum supra evicimus. Addimus nunc unum: nempe Bellarminum ipsum l. 2. de confirmat. c. 7. agnoscere, *non esse certum, an liber Dionysii Areopagitæ sit illius cujus nomen præ se fert.*

XXXIIX.

Rationes pro eadem doctrina) Quinque rationibus usus fuit Bellarminus, omnesque accurate confutavit Gesenius. Videtur itaque & Mülmannus trium ultimarum Bellarmini memoriam damnare velle. Deum obsecro, ut porro illum ducat in omnem veritatem. Tædet vero animadvertere in omnia illa quæ à Mülmanno usque ad thesin L. pro primis duabus rationibus disputantur, etsi plurima in ijs sint frivola. Qualia utique sunt: num interdum plene remissa culpa maneat tamen luenda pœna, item num dentur peccata quædam venialia. Quicquid enim horum statueris, perinde videtur esse purgatorij quidem ignis naturam inquirenti. Etenim nec animus est, nec vacat nunc digredi ad ea quæ

ad doctrinam de Purgatorio igne pene nihil faciunt? Per me itaque hodie non stabit quo minus utrumque quod hic adfert Mülmannus, tanquam duplex purgatorij fundamentum, inter vera admittatur: *remissa* videlicet *culpa non semper remitti omnem pœnam peccatis debitam*, & *esse quædam peccata venialia*. Fingam ipsemet in gratiam Mülmanni, tantum ut compendifaciam laborem meum, ita esse prout ille docuit. Id tantum nunc desidero in Mülmanno, quod non exposuerit, quomodo ijs positis & concessis sequatur Purgatorium aliquem ignem esse. Neque vero consequentiæ vis ulla mihi quidem apparet, præsertim si prior illa ratio proponatur quemadmodum id factum est à Mülmanno. Primum enim omnis illa collectio instituitur ex puris particularibus propositionibus in hunc modum: interdum remissa culpa luenda est aliqua pœna, ergo peccatorum post baptismum commissorum etiam remissione impetrata luenda est aliqua pœna. Fac vero collectionem hanc esse bonam, quum tamen sit ineptissima: quomodo admissa illa conclusione, sequitur alterum illud, illam pœnam à morte demum esse luendam? Quid enim si ipsamet mors sufficiat pro pœna illa? Certe apud Epiphanium hæresi 64. S. Methodius martyr scribit: *Ad utriusque (animæ scilicet & corporis) salutem quasi medicam quandam purgationem (φαρμακευτικῆς τρόπον καθάρσεως) ita mortem Deus excogitavit, ut nos immunes ab omni damno integrosque præstaret.* Alia pœna esse opus non probaveris, nisi itidem facta collectione ex puris particularibus. Concedatur vero & hoc, pœnam aliquam à morte luendam. Non sequitur hinc, illam statim luendam. Non sequitur, illam pœnam esse ex parte pœnam aliquam sensus.

Possis

Possis enim luere demum circa judicium extremum: quemadmodum multis Patrum post Origenem olim visum est. Possit esse pœna aliqua damni: quæ sententia fuit & olim Montanizantis Tertulliani & nonnullorum sequioris ævi Græcorum. Concesserim, pœnam sensus luendam: qua consequentia probaveris ferendam igneam aliquam & quidem infernalem? Hæc omnia ordine debuisset dare probata Mülmannus: non autem laborare tantum, uti probet remissa culpa nonnunquam pœnam superesse luendam (qua in re tamen probanda itidem fuit frustra) & mox ex arena sese proripere, tanquam re bene gesta & prostrato jam adversario. In universum porro de rationibus ejusmodi cogitasset velim Mülmannus, quam sit temerarium de judicij divini negotijs affirmare aliquid, & quidem sub anathemate affirmare, ductu ratiuncularum: cum nemini hominum possit constare temperamentum justitiæ & clementiæ divinæ. Quam multa alias valde verosimiliter queant differi, de liberali remissione peccatorum venialium, citra omnem pœnæ alicujus interventum, potuisset idem Mülmannus jam discere ex libello, quem Græcæ Ecclesiæ nomine adversus Purgatorium Latinorum Basileensi concilio obtulit Marcus Ephesius. *Vide sub finem libri*

L.

Summa hæc est) Quam mala fide summam disputationis Gesenianæ recitet Mülmannus, nemini non appareet, qui ipsamet verba Geseniana cum hac summa contulerit. Candidi disputatoris fuisset omnia integra dare, & ita ijs per partes addere responsiones. Martialis olim jocatus est in Fidentinum:

Quem recitas meus est, ô Fidentine, libellus:
Sed male dum recitas incipit esse tuus.

Locum quendam tertium) Debuisset addere; ubi igne infernali aliquandiu excoquantur animæ. Hoc ipsum enim quam maxime pertinet ad conclusionem probatam.

LI.

Argumentum à Scripturis petitum) Duo argumentorum genera longe robustissima, non vero unicum aliquod, attulerat Gesenius. Alterum quod n. XXI. productum est dissimulavit Mülmannus: quantum videtur ideo, quoniam in promptu non habuerit quod tam claro soli obijceret. Quid enim est clarius quam non esse fidelibus qui in Christo sunt mortui gravissima tormenta & ignem aliquem infernalem metuendum, quum in universum sine omni discrimine omnes illos *beatos* prædicet Scriptura, *quiescere à laboribus, nullo eos tormento affligi, ingressos in pacem, requiescere in cubiculis suis?* Hæc profecto διαῤῥήδην adversantur purgatorio illi furno. Non est beatus, non quiescit, non ille non tormento affligitur, non fruitur pace, non requiescit in cubiculo, qui dies noctesque immanem in modum non in Phalaridis tauro sed in ipsa Acherontis flamma ustulatur. Iam vero quis non trepidet moriturus ad tam grave supplicium? quis possit bono animo esse? Et vero quid non hactenus trepidatio illa & metus Purgatorij hominibus extorsit, postquam ille semel incussus est? Quis bonus non tristatus est, cogitans carissimos suos tam dire à morte haberi? Ex diverso autem Scriptura vetat nos tristari mortuorum caussa: jubet bono animo esse decessuros: spondet melius nobis esse extra corpus. Vtinam Mülmannus adhuc

adhuc omnia hæc probe expendat, & tentet num quid possit ad hæc respondere, & quidem num adferre possit non aliquod σαφὸν φάρμακον, sed quo perspicue & solide vis argumenti infringatur. Priorem argumentorum ordinem tangit quidem Mülmannus, sed etiam hic multa dissimulat longe firmissima. Tale est illud, quod Scriptura jubeat strenue nos operari interim dum adhuc vivimus, tanquam à morte ulterior expiatio non sit exspectanda. Posita vero de Purgatorio doctrina, debuisset utique Scriptura, perinde uti nunc fit in Ecclesia Pontificia, monere uti de suffragiis post mortem sint solliciti fideles, aut ut vivi mortuorum animabus prospiciant, & quidem jubere debuisset Scriptura idipsum proposito gravissimo illo periculo, quod à morte saltim plerisque venit subeundum. Similiter nusquam Scriptura nisi unum locum & quidem æternæ condemnationis cavendum monet. Secundum Pontificios autem præter illum & Purgatorium est cavendum. Doctores quoque Pontificij strenue allaborant, uti homines inducant, summa vi contendere quo etiam Purgatorium evitent, aut quam citissime curent inde sese liberari. Et vero hac in re præstant sese viros bonos. Nec vero vir bonus à tanto malo non suadeat quemvis cavere sibi oportere. Num Christus, num Apostoli vero non itidem fuere viri boni? num etiam illis non fuit cordi salus fidelium? Illi tamen nusquam vitandum esse à morte Purgatorium jubent, sed solum infernum. Aut ignorarunt itaque illam purgatoriam flammam (quod nefas est cogitatu) aut reapse illa est fictitia. Sane tertium non adduxeris.

Multis de causis infirmum est) Conscientiam Mül-

manni testor, num quatuor illa quæ hic adfert, faciant quidquam adversus Geseniana, prout à me modo sunt explicata ex Gesenij mente.

Nam 1. jam supra ostendimus) Nos vero ostendimus Mülmannum ibi ineptire. Bene vero quod etiam hic tacite fateatur Mülmannus, in N. T. nihil reperiri quod faciat pro astruendo purgatorio, præter obscura illa Pauli verba.

Non magis officere possunt) Primum quæro, quid hoc ad rem? Quid vero si æque officiant? Fateor tamen non æque ex locis à Gesenio adductis Limbum posse destrui ac Purgatorium: primum quoniam Limbus ille ad V. T. patres credatur pertinere, Christi vero verba agant maxime de ævo Novi fæderis: deinde quoniam Limbus credatur sedes quædam animarum beata, adeoque possit videri comprehendi sub loco beatorum. At vero Purgatorium non est locus aliquis beatus, nec tamen est locus vel condemnationis, vel perditionis, vel ignis inextinguibilis. Itaq; dicendum fuerit hunc locum, vehementer tamen formidabilem & summo studio cavendum, à Scriptura nusquam clare indicatum esse.

Si duo tantum) Gesenius ita docuit, quoniam ipsa Scriptura clarissime, & hinc Ecclesia primitiva omnis, statum beatorum non unum nobis describit. Iterum vero quæro, quid hoc faciat ad rem? num ad majorem an ad minorem propositi syllogismi?

Si quando scriptura) Probare hoc debuisset Mülmannus, non nude asserere. Neque enim loca producta à Gesenio de statu illo solo videntur loqui. Esto vero. At si præter *condemnationem*, aut *perditionem*, aut *ignem inextinguibilem*, etiam alia quædam flamma est metuen-

metuenda, quî fit quare non & hanc cavendam jusserit optimus Salvator?

Vt apud Matthæum cum dicit) At hunc Matthæi locum non attulerat Gesenius. Quid ergo illum producit hic Mülmannus, quasi in eo vim aliquam Gesenius collocasset? O candorem!

LII.

Vt plane insani) Nos ex adverso probavimus, insaniæ saltem proximum esse, Patrum illorum placita pro igne purgatorio Pontificio probando adferre. Neminem adduxit Mülmannus, nec quisquam adduxerit, qui statim à morte fidelibus defunctis ignem aliquem metuendum esse statuerit, nisi quod Augustinus interdum videatur huc propendisse. Debuisset autem Mülmannus hoc loco respondere ad dicta alia Patrum à Gesenio laudata in id ut probetur, ab ijs non nisi duo loca statim à morte fuisse animabus proposita. Prudenter non tentavit quod præstare non potuit. Certe in Gallicana Ecclesia in Ecclesiasticorum dogmatum numero habitam, plane eam quam Protestantes profitemur sententiam, ipso S. Augustini ævo, luculente apparet ex verbis Gennadij à Gesenio productis. Repetam illa in gratiam Mülmanni, uti feriant iterum oculos ejus, & forte discutiant glaucoma. *Post ascensionem Domini ad cælos omnium sanctorum animæ cum Christo sunt, & exeuntes de corpore ad Christum vadunt, exspectantes resurrectionem corporis sui, ut ad integram ac perpetuam beatitudinem cum ipso pariter immutentur: sicut & peccatorum animæ in inferno sub timore positæ exspectant resurrectionem sui corporis, ut cum ipso ad pœnam detrudantur æternam.* Hæc ille. Ineptum vero fuerit, si existimes locutum Gennadium de omnibus

nume-

numeris perfecte sanctis: quemadmodum in Gregorij dialogis l. 4. cap. 22. solis illis hoc beneficij adscribitur; debuisset enim alias & reliquorum meminisse Gennadius. Imo ille nullos ejusmodi perfecte sanctos agnovit. Diserte enim ita scribit cap. 86. *Nullus sanctus & justus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse justus vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. Et ideo veraciter se omnes sancti pronunciant peccatores, quia in veritate habent quod plangant.*

Locum Augustini) Esto: ille locutus sit de statu post judicium. Quod tamen non probavit Mülmannus. Fatemur quippe hac in re fluctuasse nonnihil sanctissimum illum Patrem, tanquam quæ citra salutis dispendium varias patiatur sententias: fatemur etiam ingenue, plærosque illius operis sermones dubiæ esse auctoritatis, imo non ab Augustini manu vel ingenio. Vice illius dubij testimonij prodeat clarissimum Gregorij Nazianzeni, & quidem prolixum, ne quid possit ambiguitatis superesse, ex Oratione funebri in laudem Cæsarij fratris scripta: *Sapientum*, inquit, *verbis adducor ut credam, pulchram omnem animam & Deo charam, posteaquam corporis vinculis soluta hinc excesserit, protinus bonum, quod eam manet, præsentientem & contemplantem (utpote eo, quod tenebras offundebat, vel purgato, vel deposito, vel, quo verbo ea res appellanda sit nescio) mirabili quadam voluptate affici & exultare, atque hac vita tanquam gravi quodam ergastulo liberatam, compedibusque illis, quibus mentis alæ deprimebantur solutam, summa cum hilaritate ad Dominum suum tendere, ac reconditam beatitudinem, jam velut per imaginem & simulachrum percipere: post etiam aliquanto, cum cognatam carnem à terra, quæ & dederat & in fidem acceperat, receperit, (quod quomodo fiet is novit,*

novit, qui ea inter se conjunxit atque dissolvit) tum demum eam quoq; ad gloriæ cœlestis hereditatem secum admissuram, & quemadmodum ob naturæ conjunctionem ærumnarum prius particeps fuerat, sic etiam jucunditates suas cum ipsa communicaturam, totum videlicet corpus in se ipsum absumentem, & cum eo unum effectam & Spiritum & mentem & Deum, absorpto nimirum à vita eo, quod mortale & caducum erat. Adjungo aliud ex Chrysostomo ad cap. v. Epistolæ secundæ ad Corinthios: *Vitam nostram non extinguit is qui nos oppugnat & morte afficit: ne timeas. Fidentem animum præbe cum concideris atq; obtruncaris. Neq; enim ille duntaxat te à corruptione vindicat ac gravi sarcina levat, sed etiam ad Dominum CONFESTIM transmittit.*

Ex sermone 41 de sanctis) Si ignorat Mülmannus, docendus est ex suo Bellarmino: qui libro de Scriptoribus Ecclesiasticis ita scribit ad tomum decimum librorum S. Augustini. *Liber quinquaginta homiliarum totus aut fere totus Augustini est. De homiliis de Tempore & de Sanctis non eadem certitudo haberi potest: credibile tamen est magna ex parte Augustini esse.* Seorsim de sermone illo quadragesimo primo docte in hæc verba annotavit Robertus Cocus in utilissimo suo Censuræ opere: *Hic sermo idem est cum homilia prima de Eleemosyna, quæ Cæsario Arelatensi adscribitur. In editione Erasmi, non habet A affixum, nec in Lovaniensi, nomen Augustini additum. Præterea hic sermo habebatur in die commemorationis animarum. Atqui dies commemorationis animarum institutus est ab Odilone Cluniacensi Abbate circa an. Domini 1000. teste Polydoro Virgilio de Inventoribus rerum lib. 6. cap. 9.* Quam infirmum igitur sit illud ex Sermonibus istis desumptum testimonium, ipsemet jam Mülmannus perspicit. Ego vero auctarij loco dabo ipsi le-

genda verba Cassiodori, viri magni, ex media Italia, & Augustino multum junioris; uti liquido videat etiam tum ignoratas Purgatorij fabulas in ipsamet fuisse Italia. Sic autem ille l. de *Anima* c. 19. loquitur. *Quæritis forsan post hoc seculum animæ nostræ quid agant qualesq; permaneant? Respondemus ut diversa lectione collegimus: Mors est anima corporisq; facta resolutio, vitæ hujus absentia carnis desideria vel necessitatis prorsus ignorans. Nam cum fuerimus hac luce imperio creatoris exuti, simul corporis appetitiones & imbecillitates amittimus. Non enim ulterius labore frangimur, non cibo reficimur, non jejunij diuturnitate quassamur, sed in animæ nostræ natura jugiter perseverantes, nihil boni maliq; facimus, sed usq; ad tempus judicij, aut de præteritorum actuum pravitate mœremus, aut de operationis nostræ probitate lætamur. Tunc autem recipiemus factorum omnium plenissimum fructum, quando voce Domini aut repudiati fuerimus, aut ad regnum perennitatis admissi. Hanc igitur mortem in ista vita pene quietus somnus imitatur, quando seculi istius desideria cuncta habitumq; deponit, & quicquid hic agitur tranquillus animus sopore mentis ignorat.*

LIII.

Similiter quando dicitur) Eximium quendam locum Epiphanij adduxerat Gesenius num. XXIV. Verum & hunc callide præterit, nescio tamen quam ingenue, Mülmannus. Augustini verba explicationem Mülmannianam posse admittere, non negaverim. Certo tamen non dixerim; quum verba universalius quid sapiant, nec Augustinus constanter purgationem animæ à corpore suo separatæ asseruerit.

LIV.

Nec magis nos urgent) Pene dixerim Mülmannum hic

hic veteratorie agere. Attulerat Gesenius cum alia ex Ambrosio & Epiphanio, tum verba Auctoris vetustissimi quæstionum & responsionum ad Orthodoxos, ut & Gregorij Nazianzeni, ita perspicue alteri parti Pontificiæ de Purgatorio doctrinæ opposita, ut nihil possit esse clarius. Mülmannus quasi non viderit relinquit intacta. Ego vero illa iterum ipsi opponam in clarissima hac luce. *Est vero*, inquit vetus ille auctor, *hæc de Lazaro & divite narratio evidens & illustris repræsentatio, doctrinam illam habens: post exitum animæ ex corpore non posse homines QVICQVAM emolumenti percipere ulla hominum providentia ac studio*. Gregorij verba sunt: *Hic hominibus medela: post hanc vitam OMNIA sunt vinculis ligata.* Quid potest disertius tollere omnem spem emergendi ex Purgatorio per suffragia quæ appellantur?

Pro peccatis nostris propriis satisfactionem) Primo notandum, nec Cyprianum nec Chrysostomum diserte loqui de satisfactione quam ipsi præstemus: sed simpliciter Cyprianum quidem dicere: *nullus satisfactionis effectus*, Chrysostomum vero: *nihil nobis ad satisfaciendum relinquitur.* Adeoque quod hic dicit Mülmannus non profecto Patribus illis est consentaneum. Deinde ridiculum est effugium, quod sibi quærit Mülmannus in nescio qua rigorosa acceptione vocis *satisfacere*: quasi scilicet in pœnæ tolerantia non sit proprie satisfactio sed satispassio. Num existimat Mülmannus etiam Chrysostomo & Cypriano auditam fuisse satispassionem Scholasticorum? Haud crediderim illum ea laborare imperitia aut stoliditate. Fateatur itaque necessum est Mülmannus, vocem illam *satisfactionis* & acceptam & usurpatam à Patribus istis recepta & consueta vulgo significatione. Nihil

notius vero, quam ab omni ævo illud vocabulum usurpatum frequentissimo & quotidiano usu, cumprimis in pœnitentiæ Ecclesiasticæ negotio, de perpessione alicujus pœnæ in id ut satisfiat justitiæ. Etiam hodie pœnam purgatorij satisfactoriam esse, passivum est dogma Romanensis Ecclesiæ. Igitur omnino etiam de illa quæ patiendo fit satisfactione Patres illi sunt locuti: imo de hac locuti sunt quammaxime, utpote cum agerent de pœnitentia. Vnde porro consequens est, illos non admisisse satisfactionem peccatorum, quæ aut per ipsas flammas fiat, aut per quædam aliorum suffragia satisfactoria.

Patres potissimum) Esto: potissimum hoc egerint. Satis est nobis, si tamen simul egerint etiam de venialium peccatorum quæ appellantur remissione.

LV.

Vnam adhuc Calixti fallaciam) Non agam lege talionis adversus Mülmannum, sed benigne; inscitiæ & incondito zelo adscribo hanc ejus calumniam. Omnino legit Gesenius illos à Bellarmino laudatos Patres Græcos veteres. Imo in ipso suo libello omnia eorum verba expendit, nihilq; illa ad Purgatorium Pontificium facere demonstravit. Saltim hactenus itaque nihil per fallaciam aut dolose egit Gesenius, quando asseruit *Græcos nunquam dogma de Purgatorio admisisse.* Candorem potius in Mülmanno quæsiveris, qui tam aperte hæc acta à Gesenio videns, tamen illum non dubitavit accusare, quasi dissimulaverit agnitam veritatem. Quam candidum porro est illud quod subjungit Mülmannus ! *Fatetur deinde,* inquit, *ipsemet, Episcopos Græcos omnes, uno solo Marco Ephesino excepto, in Concilio Florentino ea in re consensisse.* Vbi vero hoc fatetur Gesenius? Gesenij verba plane contrarium dicunt.

dicunt. Illa hæc ſunt num. XIII. *Etſi vero poſtmodum in Concilio Florentino aliqui è Græcis Epiſcopis, ut Beſſarion & alij iſtuc miſſi, in gratiam Occidentalium, à quibus auxilia adverſus Turcam ſperabant, nonnihil conceſſerunt, tamen Marcus Epheſinus cum aliis nonnullis in frequentiſſimo Concilio palam ac diſerte huic cæterorum legatorum conceſſioni contradixit, nec reliqui Græci Epiſcopi, qui domi manſerant, eam ratam habere voluerunt.*

Se perpetuo purgatorium credidiſſe) Recte & famæ ſuæ & veritati conſuluiſſet Mülmannus, ſi diſerta verba illius Confeſſionis dediſſet nobis ex Actis. An forte illa nunquam legit? Certe in iis quæ paſſim feruntur Actis, ſeſſione ſaltim ultima quam citat, nihil tale reperias. Nec tamen negavero, jam ab initio illius Concilij, nonnullos Græcorum pronos in concordiam cum Latinis, præ metu imminentis internecionis reipublicæ ſuæ, cepiſſe ſenſim ſeſe componere ad Latinorum dogmata. Cum Nili de primatu Papæ libello, cura Bonaventuræ Vulcanij, & poſt Cl. Salmaſij τοῦ πάνυ tum vero adhuc adoleſcentis, exſtant conjuncta, *Excerpta* uti appellantur *ex actis Octavæ ſynodi quæ Ferrariæ incepta peracta fuit Florentiæ.* Ibi legas Græcos dixiſſe: *Ipſi purgatorium non ignem ſed obſcurum quendam locum, ac laborum plenum eſſe cenſemus, in quo quidem exiſtentes animæ lumine divino privantur donec coadjuvante Eccleſia expientur ac liberentur. Sic ergo ſentimus de purgatorio.* Verum communem hanc fuiſſe omnium illorum qui ibi aderant Græcorum ſententiam, haud facile oſtenderis, etſi multos ſtudio concordiæ jam tum iſthuc propendiſſe haud negandū ſit. Nec vero iſtis quidem Excerptis ſive Actis tuto licet fidem adhibere, cum ſint ab aliquo partis Latinæ conſcripta, & quidem eo qui affectum imo ſtudium

partium non potuit dissimulare. Eidem Nili libello jungitur, & hinc à nonnullis per errorem Nilo ipsi tribuitur, alius perexiguus hoc titulo: περὶ τοῦ καθαρτηρίου πυρὸς βιβλίον ἕν. Est autem idem plane, qui in opere Orthodoxographorum inscribitur: *Apologia Græcorum de Purgatorio exhibita in Concilio Basileensi per Marcum Ephesinum.* Vt proinde hic libellus ab jisdem illis Græcis sit profectus qui Florentino Concilio interfuerunt. Et vero videtur esse oratio illa quam inter libros Capnionis manuscriptam sibi visam pag. 168. Turcogræciæ testatur Martinus Crusius, cum hac inscriptione: *Responsio Græcorum ad positionem Latinorum, opinionem ignis purgatorij fundantium & probantium. Quæ lecta & data fuit reverendiss. & reverendis patribus & dominis deputatis die sabbati, XIII. mensis Iunij 1438, in sacristia fratrum Minorum, Basileæ. Præsentata Nicolao Cusano.* In hoc vero opusculo non ignis tantum purgatorius rejicitur, sed omnino ita disseritur, quasi fiat quidem etiam post obitum remissio quædam venialium aut graviusculorum nonnullorum delictorum, & in id prosint Ecclesiæ pro defunctis preces, pœnæ tamen nullæ omnino luantur post obitum, sed liberalissima Dei benignitate peccata condonentur. Vt proinde non sit dubitandum, hanc quidem sententiam Græcos domo attulisse, alteram autem illam Ferrariæ vel Florentiæ in gratiam Latinorum, quorum auxilijs tum maxime indigebant, natam esse. Certum vero est & notissimum, omnem illam cum Latinis factam Vnionem reliquis Græcis summe displicuisse, adeoque mox irritam evanuisse. Idoneus maxime testis Laonicus Chalcondylas l. 6. ταῦτα ὑποδεξαμένου τοῦ ἀρχιερέως, ἐκομίζετο ἐπὶ τὴν βασιλείαν Βυζαντίου μετὰ ταῦτα ὁ τῶν Ἑλλήνων βασιλεύς. Οἱ μὲν οὖν Ἕλληνες, ὡς ἐπ' οἴκου ἐγένοντο οὐκέτι ἔφασαν ἐμμένειν τοῖς ὁμολογουμένοις. *His ita cum*

pon-

Pontifice compositis, Græcorum Imperator Byzantium proficiscitur. Græci vero domum reversi, dixerunt, non amplius iis de quibus convenerat stare se velle. Nec vero vel tantum habuit roboris illa Vnio, quantum altera superioris seculi anno nonagesimo quinto, per Russiæ Polonicæ nonnullos Græci hactenus ritus Episcopos cum Pontifice Romæ tentata, quæ itidem sperato fructu caruit. De illorum legatis Roma reversis ita memorat Paulus Piasecius Episcopus Præmisliensis in Chronicis: *Reversi illi in Poloniam secus quam sperarant, aversos à se & ab Vnione (ita denominatur vulgo) illa, cæterorum ritus istius Ecclesiasticorum & secularium animos invenerunt.* Paulo post addit eam Russicis populis adeo exosam factam, *ut* (inquit) *audito solo Vnionis nomine ab omni de ea tractatu prorsus abhorreant: & nihil magis hucusq; quam tumultus istorum seditiosi, & querelæ perennes pro Vnione & contra Vnionem, rempublicam Polonam perturbant.* Hæc Piasecius, pro studio partium Romanarum censuit. Quem verum dixisse miserabilis quæ est hodie facies Reipublicæ Polonicæ, nimis heu Europæ omni reddit manifestum. Sed fortassis nihil hoc ad hanc rem. De Vnione autem illa Florentina Græcorum cum Latinis operæ fuerit audire quæ scribit Caramuel, Abbas doctus ingenuus & moderatior longe quam sunt plurimi Pontificiæ partis, in Prodromo Pacis pag. 53. *Nunquam in Ferrariensem synodum venissent Græci, nisi Romana Ecclesia impensas omnes subministrasset: noluissent Ferraria transire Florentiam nisi duplum Florentiæ habuissent quam Ferrariæ (subsidium mensium octo pro quatuor mensibus postularunt obtinueruntq;) imo nec convenissent cum Latinis nisi summis favoribus obruti sine ingratitudinis nota aliter non possent facere.*

Piasec. Chr. p. 164

Concilio

Concilio haud ita pridem) Quemadmodum non dixerim, illa quæ in Confessione sua habet Cyrillus Lucaris Patriarcha, esse placita Ecclesiæ Græcæ universæ: ita nec temere approbaverit mihi Mülmannus fidem Actorum Concilij illius, qualia quidem illa in lucem sunt edita. Nota orbi est Parthenij historia non minus quam Cyrilli Lucaris.

Defunctis eleæmosynas & Ecclesiæ preces) Preces pro defunctis admittit, fateor, & religiose hodieque instituit Ecclesia Græca. Inepte vero hinc colligit Mülmannus, ab eadem in Purgatorium aliquod, longe ineptissime, in Papalem ignem purgatorium, consensum esse. Audiat suos, si nobis non credit. Iodocus Coccius jam tum à Gesenio numero XIII. citatus: *Græci ac Moschovitæ, etsi funebre sacrum pro defunctis faciunt, tamen Purgatorium negant.* Guido de Perpiniano Armenorum (qui utiq; Græcæ Ecclesiæ sunt soboles) nonum quidem errorem pronunciat: *quod in alio seculo non est purgatorium.* Paulo post vero addit: *Nec ipsi orant pro defunctis ut in alio seculo peccata dimittantur, sed generaliter orant pro omnibus mortuis, ut in die judicij intrent in regnum cœlorum.* De Russis sive Moschovitis, alia Græcæ Ecclesiæ sobole, Alexander Guagninus in descriptione Sarmatiæ Europææ, cum paulo ante dixisset: *neq; etiam animam à corpore separatam pœnis obnoxiam esse credunt,* subjungit: *Funebre autem sacrum pro defunctis ideo faciunt, quod iis suffragiis tolerabiliorem animabus locum impetrari sperant, ubi facilius extremum diem judicij expectare possint. Imo etiam cum aliquis vir magnæ auctoritatis moritur, tunc Metropolitanus sive Episcopus epistolam ad S. Petrum scribit, sigillo suo & manus subscriptione munitam, quam super pectus defuncti ponit, dans testimonium de bonis piisq;*

operibus ejus, utq; in cœlum facilius post diem judicii admittere-tur, & Christianæ catholicæ religionis agnoscatur, subscribit. Quid opus vero est alienis testimoniis, cum in promptu sint ipsamet Græcorum recentiorum scripta? Iam tum audivimus, in Apologia illa quam Græci Basileensi concilio obtulerunt, & laudari preces pro defunctis, & simul tamen omnem punitionem piarum animarum impugnari. Euchologia illorum publica purgatoriæ alicujus pœnæ ne verbulo quidem meminerunt, sed fructum precum pro defunctis in extremum duntaxat judicium videntur differre. Idem facit Patriarcha Ieremias: diserte enim scribit valere illas preces *pro eluendis peccatorum maculis dum adhuc judicium exercetur.* Nisi malis judicium aliquod ab illo admitti etiam ante extremum illum diem; quod haud præfracte negaverim, cum fabulas Damasceni (sive alterius esse credideris) de anima Falconillæ & Trajani ex gehennæ suppliciis liberata videatur admittere. Quicquid vero sit, certum est ab illo Ieremia etiam satis significari, non institui preces pro animabus pie defunctorum, uti illæ à pœnis quibusdam purgatoriis liberentur. Quæ cum ita sese habeant, miror sane Mülmannum ausum profiteri, tanquam Græcorum quæ hodie supersunt, Ecclesiæ eadem cum Romanensibus de Purgatorio sentiant & doceant.

De particularibus quibusdam hominibus.) A quatuor amplius seculis, inter ea quę divulserunt Ecclesiam Latinam à Græcâ, fuit numerata controversia de Purgatorio: & tamen audet Mulmannus profiteri, non nisi *particulares* h. e. paucos aliquot Græcos à Latinis hac in parte abiisse, quasi plærique cum Latinis consenserint. Quadringenti sane

& amplius anni ſunt, cum Thomas Vrbano Papæ miſit opuſculum, quod inter alia hodie eſt ordine primum de erroribus Græcorum. Iam tum vero Thomas diſertis verbis impugnavit eos *qui purgatorium negant poſt mortem*, pene ſub opuſculi illius finem. In ejuſdem opuſculo ſecundo *contra errores Græcorum* ad Cantorem Antiochenum ſcripto cap. 1. habetur: *Circa ſtatum verò animarum poſt mortem aſſeris errare Græcos & Armenos, dicentes quod animæ poſt mortem uſq; ad diem judicii nec puniuntur nec præmiantur, ſed ſunt quaſi in ſequeſtro, quia nec pœnam nec præmium debent habere ſine corpore: & in ſui erroris aſſertionē inducunt quod Dominus in Euangelio dicit: in domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Capite nono hæc ſententia multis refellitur, & quidem ita, ut ſatis clare liqueat, ab omni omnino pœna purgatoria animas à corpore ſeparatas Græcos tum vacuas pronunciaſſe. Eodem tempore ſcriptus eſt Conſtantinopoli libellus *contra errores* Græcorum, qui habetur *parte priore quarti tomi Bibliothecæ patrum Pariſienſis quartæ editionis*, ubi inter errores Græcis adſcribitur, quod affirment *defunctorum animas nec paradiſi gaudiis perfrui, nec infernorum ſupplicіis vel igni purgatorio citra diem judicij, aut ante latam ſententiam extremam, poſſe ſubjacere.* Sequente ſeculo decimoquarto Guido Carmelita quintum Græcorum errorem numeravit, quod *dicant purgatorium non eſſe, nec pœnas purgatorij.* Seculo decimoquinto Conſtantinopoli Concilio ipſimet interfuit Antoninus Florentinus Archiepiſcopus: & tamen ubi recitaſſet formulam Vnionis ab Eugenio Papa promulgatam, ſtatim ſubjungit parte 3 Summæ hiſtor. tit. 22. cap. 11. *Errabant Græci in tribus COMMVNITER, primo quod Spiritus ſanctus procederet à Patre & non à Filio: ſecundo quod*

do quod

do quod non erat purgatorium: tertio quod ecclesia Constantinopolitana non esset sub Ecclesia Romana, nec Patriarcha Constantinopolitanus esset inferior Romano Pontifice. Horum quodlibet est hæreticum. In aliis ritibus qui non important hæresin fuerunt permissi manere. Ex quibus verbis utique manifestum est, saltim ante Vnionem Florentiæ initam, nullas Purgatorij pœnas à Græcis in universum fuisse admissas: adeoque hactenus profecto longe esse falsissimum id quod hic adfert Mülmannus, à Latinis non nisi aliquot paucos Græcæ Ecclesiæ homines de Purgatorio dissensisse. Iam vero & post Florentinum illud Concilium, Græcam Ecclesiam, ut & Russicam & Armenicam, itidem Purgatorium non admisisse, liquet utique ex testimonijs modo productis Alexandri Guagnini & Iodoci Coccij. Addam unum Alphonsi de Castro ex l. XII de hæresibus: *Vnus,* inquit, *ex notissimis erroribus Græcorum & Armenorum est, quod docent nullum esse purgatorium locum, quo animæ ab hac luce migrantes purgentur à sordibus, quas in corpore contraxerunt, antequam in æterna tabernacula recipi mereantur.* Præter Græcos porro Armenos & Russos, etiam in Africa Abyssinos non facere cum Romana Ecclesia circa Purgatorium, satis nunc fuerit unico testimonio illo probare, quod refertur à Petro Iarricio uno Sociorum Tomo III Thesauri rerum Indicarum cap. XXXIV, ubi res quæ P. Paëzio in ipsa Abyssinorum regia contigerint commemorantur. *Tum monachus quidam* (scribit auctor) *è turba petiit, cur legem nos veterem, quam illi in plurimis sequuntur, minime observemus: Secularium dein quispiam rogat, cur duas in Christo naturas & Purgatorium asseramus. Hæc enim ipsi negant. Tribus hisce quæstionibus doctissime Paëzius satisfecit,*

fecit, & eorum errores S. Scripturæ testimoniis confutando, & Catholicæ fidei veritatem confirmando. Hæc ille. Quum hæc vero adeo omnibus sint nota, indigno profecto facinore Mülmannus paucis quibusdam adscribit quod integris Ecclesiis Asiæ & Africæ publicum est. Et tamen fortasse citius Mülmannum hic excusaveris quam Leonem Allatium, qui cum sit Græcus natus & illius Ecclesiæ saltim pleraque ignorare non possit, qua est eximia eruditione, in signum concordis Græcæ & Romanæ circa Purgatorium doctrinæ, non dubitavit afferre solas preces pro defunctis: quasi hæ satis sint probando illi paradoxo. Verum hoc quidem signum quam sit illi rei ostendendæ ineptum, nemini non jam constat. Verius dixeris, quod aliud judicium afferre non potuerit consentientis doctrinæ, id signum esse dissensionis. Et vero rectius omnis ille liber Allatij discordiam Græcæ & Romanæ Ecclesiæ prodit, quam utriusq; concordiam: utut hoc potius præ sese ferat libri titulus. Cæterum ne à Purgatorij negotio nunc abeamus, mirum sane, ni sit hoc commentum Mülmanni & Allatij ex odio partium nostrarum profectum: quoniam scilicet dolet, nobis cum alijs Ecclesijs amplissimis communia multa esse quæ in nobis damnant Romanenses. Est vero illorum hic conatus (si liceat verum fateri) paris stultitiæ, atque fuit Hispani illius, qui libro cui fecit titulum, *Ecclesiasticæ, Politicæ & Naturalis regnorum AEthiopiæ Historiæ*, non dubitavit docere, Abyssinos Romanæ Ecclesiæ addictos semper fuisse: quem isthoc nomine mendaciorum arguit & convincit is quem ante laudavimus Iarricius *Tomo III cap. XXXI.*

Fons sit & origo) Doctrina de purgatorijs pœnis animarum pie defunctorum hominum initio quidem, cum nondum appensum haberet anathema, *per se* non alia nocuit fortassis, quam quod quod metum mortis justo majorem pijs omnibus incusserit, & superstites quoque de suorum post mortem miseria sine caussa sollicitos & mœstos reddiderit. Quod profecto humanam vitam haud parum perturbat. Ex quo fidei salutaris dogma cæpit haberi, & sub anathemate proponi (quod non nisi serius cæpit) plus longe damni attulit: utpote quum hoc ipso ad censum placitorum hæreticorum accesserit. Reliqua à Gesenio recensita mala fatemur *per se* non derivari ex Purgatorio, neque id assertum voluit Gesenius: certum tamen est occasione Purgatorij potissimum invaluisse. Ita ex. gr. quod in otiosum clerum collata sit melior pars opum hujus mundi, per sese debetur corruptæ de eleemosynis doctrinæ: etiam hæc tamen ipsa doctrina ad summum usque superstitionis culmen occasione Purgatorij evecta est. Depravatæ inquam de eleemosynis doctrinæ illud deberi: quod nimirum persuasum fuerit, placere Deo quamvis in sacros usus opum profusionem. Cum tamen nihil exigat Deus ultra necessitatem: ultra eam certe accipere quidquam sit nefas. Id quod præclaro illo Mosis instituto confirmatur, Exodi XXXVI descripto. Cum nempe populus non cessaret offerre donaria sua in tabernaculi fabricam, & artifices indicassent Mosi, plus offerri à populo quam sit necessarium. *Iussit Moses* (verba ipsa sacra sunt) *præconis voce cantari: nec vir nec mulier quicquam offerat in opere sanctuarij. Sicq; cessatum est à muneribus offerendis, eo quod oblata sufficerent & super-*

abundarent. A quo exemplo clerus immane quantum discessit compluribus jam seculis.

Fœdum illud indulgentiarum mercimonium) Miror male hoc habere Mülmannum, quum ipsum Concilium Tridentinum non potuerit dissimulare fœditatem illius mercimonij. *Abusus,* inquit, *qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos & correctos cupiens, præsente decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse.* Ita Concilium sub Pio IV Papa & ingenue quidem; perinde ut alia quoque nonnulla longe cautius rectiusque tum temporis docuit constituitque, quam est factum sub Paulo & Iulio tertijs; quando ad tyrannicas Papæ artes imperitia ac paucitas Præsulum accessit, eoque improvide multa sunt condita, quæ haud parum hodie Romanensem Ecclesiam gravant. Qua de re alias. Cæterum & Luthero fœditatem istius mercimonij ansam præbuisse, calamum pro veritate stringendi, multi ipsorummet doctorum Pontificiæ partis non ausi sunt ire inficias. In medio sunt illorum varia testimonia. Adferam igitur nunc non nisi unicum, idque minus obvium, hominis Hispani, & scriptis clarissimi, Alphonsi de Castro Franciscani. Hujus *l. 3. de justa hæreticor. punitione c. 3. pag. 309. editionis Antvverpiensis* hæc sunt verba. *Ad hoc genus hominum pertinent fere omnes quæstuarij indulgentiarum prædicatores, ex quibus vix unum aut alterum invenias virum doctum, qui sciat de re quam prædicat vel mediocrem reddere rationem. Nunquam aut fidem aut mores sua prædicatione docere intendunt, sed is*

solus

solus prædicationis suæ scopus est, plures ab auditoribus non solum haurire sed extorquere pecunias. Quod ut assequantur, quas populo prædicant, plus debito exaggerant, quaquaversum se vertunt plangunt, lamentantur, minantur, rident, nihil denique pro pecuniis extorquendis intentatum relinquunt; etiamsi cum fidei periculo id faciant. Nam sæpe indulgentias quas prædicant adeo extollere cupiunt, ut pro illarum laude execrandas ex ore suo hæreses effundant. Quantum autem nocumentum ex hoc genere hominum fuerit Christianæ reipublicæ illatum, tota Germania potest esse testis: quoniam hæc prima radix fuit, unde tota hæc Lutheranorum pestis orta fuit. Nam cum rabulas quosdam indulgentiarum prædicatores Lutherus audisset, qui plura quam par erat de indulgentiis dixerunt, adeo horrenda illi sunt visa, ut impium, iniquumq; existimaverit tacere, & illis non obviare. Idem paulo post: *Ab istis igitur quæstuariis indulgentiarum prædicatoribus primam ansam hæresis suæ Lutherus accepit. Quod nomen in tantam jam abiit infamiam apud probos & cordatos viros, ut nullus aut rarus sit vir bonus ac doctus, qui indulgentias prædicare dignetur.* Item: *Ego quidem indulgentias si recte dispensentur sanctas & valde æstimandas esse censeo, illarum tamen prædicatores, ut quædam Christianæ reipublicæ monstra abominor.* Hæc omnia Alphonsus. Quæ possunt facile confirmari hodieque superstitibus indulgentiarijs ad populum olim habitis homilijs.

Meræ calumniæ sunt) Non satis est hoc dicere: probandum erat. Qua fronte vero negaverit Mülmannus, abusus & corruptelas? quum ipsimet Tridentini patres, circa vulgarem de Purgatorio doctrinam *incerta & specie falsi laborantia*, ut & alia *quæ curiositatem quandam aut*

super-

superstitionem spectant, adeoque *scandala & fidelium offendicula* occurrere, sic satis aperte profiteantur?

Deus ter. opt.) γένοιτο, γένοιτο. Hoc ipsum nos etiam optamus: hoc Deum precamur. Quæ vero spes superest concordiæ, nisi ante omnia tollatur è medio persuasio illa de infallibili illa vicaria potestate, à Christo, sive uni Pontifici, quod mavult curia, sive Romanensis Ecclesiæ optimatibus, quod Sorbonæ placet, collata?



HER-

HERMANNI CONRINGII
PROGRAMMATA
SACRA

IN

ACADEMIA IULIA

P. P.

PROGRAMMA PRIMUM

IN FESTO RESURRECTIONIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI

P. P.



VEnerandum præ multis aliis dogma religionis nostræ est & admirabile illud, de corruptorum dudum corporum humanorum reviviſcentia olim exſpectanda. Quanquam enim & alia nonnulla Chriſtianiſmi placita non admiſerint temere οἱ ἔξω: hoc tamen præcipue à profanis negatum ſemper eſt, imo riſu exceptum. Ipſummet ſane S. Apoſtolum Paulum ſtatim atq; reſurrectionis mortuorum in Areopago mimiminiſſet, ſannis proſequuti ſunt Epicuri & Zenonis aſſeclæ. *Anceps malum*, inquit gentilis ille de Chriſtianis in Minutij Felicis Octavio, *& gemina dementia: cælo & aſtris, quæ ſic relinquimus ut invenimus, interitum denunciare: ſibi mortuis & exſtinctis, qui & naſcimur & interimus, æternitatem repromittere.* Et in eodem dialogo: *Renaſci ſe ferunt poſt mortem & cineres & favillas: & neſcio qua fiducia mendaciis ſuis invicem credunt: putes eos jam revixiſſe.* Origenes quoque teſtatur reſurrectionis myſterium ab infidelibus pipulo differri. Arnobij verba ſunt: *Audetis ridere nos, quod mortuorum dicamus reſurrectionem futuram.* Florentiſſimis jam Chriſtianorum rebus nondum excuſſum gentilibus hunc animum fuiſſe, luculente teſtantur, quæ non dubitavit ipſa Iuſtiniani ætate in Chriſtianos evomere Athenis Simplicius, celebris quidem Ariſtotelis librorum & doctus interpres, fervidus tamen

Act. XVI. 32.

Origen. l. 1. contra Celſ.

Arnob. l. 2. contra gentes.

Simpl. ad l. 8. φυσικ. ἀκροασ.

Christianorum insectator. Nec vero est quod hoc à gentilibus quondam factum esse multum miremur. Etsi enim spe ex mortuis resurgendi plærique orbis terrarum incolæ, ne Muhammedis quidem sectatoribus exceptis, ducantur hodie, ante tamen Evangelij lucem diffusam perquam illa rara fuit. Averrois inter Arabum philosophos præstantissimi verba hæc sunt, prout quidem illa barbare nescio quis vertit, in opere quod pro Philosophia adversus Algazelem conscripsit: *Sermo de congregatione corporum* (sic appellat id quod nobis est corporum resurrectio) *habet parvam pervulgationem in Legibus pervulgatis. Et quod dixerunt de ea Philosophi non est præter numerum duorum. Nam primi qui dixerunt de congregatione corporum sunt Prophetæ Israëlitæ, qui venerunt post Mosen principem Prophetarum. Et hoc apparet in Psalmis, & in multis libris attributis filiis Israël. Et affirmatur etiam hoc in Evangelio. Et est sermo Zabaistarum: quam quidem Legem dixit Avenazen fuisse antiquissimam Legum.* Hæc Averroës. Sunt autem Zabaistæ vel Zabij illi qui alias Chaldæi audiunt vel Orientales, ut jamdudum monuit Iosephus Scaliger. Non omnino falso autem scripsisse Averroëm haud immerito forte dixeris, quum & Clemens Alexandrinus Zoroastri Chaldæo agnitam, saltim ex parte, resurrectionem doceat, & ex Theopompo Peripatetico tradat Diogenes, juxta Magorum doctrinam ἀναβιώσεσθαι τοὺς ἀνθρώπους καὶ ἔσεσθαι ἀθανάτους. Fortassis tamen non illi dissolutorum corporum in integrum restitutionem, perinde ut nos exspectaverunt; sed duntaxat animarum in alia plane corpora transitum. Quam Druidum apud Gallos veteres, imo omnium Septemtrionalium, fuisse doctrinam, satis locuples testis est Lucanus: ut apud Indos Brachmanum

Aver. de-struct. destructionis Philosoph. l.2. disp.4.

Scaliger l.1. ep.62.

Clem. l.5. strom.

Diog. Laert. l.1. de vit. phil.

Lucan. l.1. Pharsal.

num, ab antiquissimis usque temporibus ad nostra hæc tempora derivatam, multorum est monumentis traditum. Quorum tamen hi adhuc absurdius, utut Pythagoræ applausum invenerint, animarum illam commigrationem in brutorum etiam corpora interdum fieri crediderunt. Scilicet quod de Thracibus Pomponius Mela: *Alÿ redituras putant animas obeuntium: alÿ, etsi non redeant non extingui tamen sed ad beatiora transire*: vel ut de ijsdem Solinus loquitur: *nonnulli eorum putant obeuntium animas reverti, alÿ non extingui, sed beatas magis fieri*: id usu olim venisse omnibus in universum populis quotquot humanæ animæ immortalitatem admiserunt, haud difficile observatu est. Alios qui mortalem animam agnoverint (quales populi fuere paucissimi) nec ἀναβίωσιν speravisse, per est verosimile: eoque nec fidem forte meretur quod scribit Plinius, à Democrito reviviscentiam promissam esse. Quicquid vero hujus quidem sit, qui ἀναβίωσιν professi sunt, eosdem corruptorum corporum resurrectionem, & in illa sic redintegrata animarum reditum docuisse, nullo licet veteris ævi monumento comprobare.

Vide & de Germanis Appian. c. 1. de bell. Gall.

Pomp. Mela l. 2. Solin. c. 10.

Plin. l. 7. cap. 55.

Quid? quod ne ipsi quidem Hebræi omnes id quod verum est hac in re sint assequuti. Non dixerimus nos quidem cum Ioanne Chrysostomo alijsq;, ignoratum antiquo fœderi addictis hoc resurrectionis dogma. Vt enim id de vetustissimis forte concesseris, si ad propiora tamen tempora attendas, id omnino falsissimum esse, ut alia nunc taceam, sola Evangelica historia probaverit; quæ sane doctrinam illam fuisse jam tum receptam & quidem in vulgus Iudæorum, non uno testimonio luculente significat. Et vero quamvis obscurius in Lege Mosaica resurrectionis spes significetur

Chrysost. hom. 1. de Lazaro

(quoniam in ea reipublicæ condendæ ratio potissimum habita est, quæ præsentis vitæ bonis malisve cummaxime ducitur) in Propheticis tamen scriptis illa ita clare describitur, ut amplius dubitare non possis, nisi interpretando vim literæ feceris, aut cum Sadducæis penitus illa velis reijcere. Cæterum post Prophetarum etiam sic satis claram doctrinam, ea tamen vis errorum fuit, ut tandem qui præ Iudaici populi reliquis videri voluerunt sapere, ad unum pene omnes circa Resurrectionem carnis vehementer inpegerint. Certe tres illæ nobiles Iudæorum sectæ, ultimo reipublicæ illius adhuc florentis ævo enatæ, graviter hic sunt lapsæ. Σαδδουκαίοις τάς ψυχὰς ὁ λόγος συναφανίζει τοῖς σώμασι. *Sadducæorum doctrina animas extinguit cum corpore*, inquit Iosephus. Qui alibi de ijsdem scribit: ψυχῆς τε τὴν διαμονὴν, καὶ τὰς καθ᾽ ᾅδου τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιροῦσι: *animæ permansionem & supplicia inferni honoresque è medio tollunt.* Qui animæ vero suam immortalitatem, & omnem ab obitu pœnam præmiumque negarunt, quei non negaverint & corporibus resuscitationem? Negasse vero illos & hanc, notum est ex Evangelicis quidem monumentis passim nemini non fidelium, ex Thalmudicis vero traditionibus vulgo Iudæorum. Minus deliraverunt quidem Essæni. Non enim animæ immortalitatem vocarunt in dubium, sed illi præmia pœnasque à morte exspectaverunt: corporum tamen salutem nequaquam agnovere, ut quæ ex ipsorum non minus quam Stoicorum Platonicorumque sententia, carceres quidam sint, in quos animæ terrenarum rerum cupiditate ductæ quasi in pœnam sint ex sublimi æthere detrusæ: prout illorum doctrinam nobis quidem Iosephus memoravit. Ἔρρωται, ait ille, παρ᾽ αὐτοῖς

Orig. & Hieron. ad cap. 22. Matth.

Iof. l. 18. Antiq. c. 2.

Id. Bell. l. 2. cap. 7.

Tit. Sanhed. cap. Chelec. ad mischn. 1.

Iof. l. 2. Bell. c. 7.

ἥδε ἡ δόξα, φθαρτὰ μὲν εἶναι τὰ σώματα, καὶ τὴν ὕλην οὐ μόνιμον αὐτοῖς, τὰς δὲ ψυχὰς ἀθανάτους διαμένειν: *Rata apud illos hac opinio est: corpora quidem corruptibilia esse, nec permanentem aliquam illis materiam esse: animas autem immortales permanere.* Quæ plurima ille annectit heic referre nihil attinet. Haud fortasse abs ratione igitur quis accesserit illis, qui existimant Essenos esse, qui Moslim in Thalmudicis audiunt. Sane & hi carnis resurrectionem negavere: videntur tamen simul & futurorum præscientiam inique Deo ipsimet denegasse, contra quam de Essenis proditum est à Iosepho. Quicquid vero hujus quidem sit: inter veteres illos Iudæorum sectarios, soli Pharisæi nonnihil propius ad veritatem accesserunt. Opinati quippe ψυχὴν πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην, τὴν δὲ τῶν φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι. *omnem quidem animam incorruptilem, solam autem bonorum in aliud corpus transferri, malorum vero æterno supplicio puniri.* Alibi scribit de ijsdem Iosephus: *Animas credunt esse immortales, & sub terris earum judicia fieri, tum præmia quoq; contingere ex virtutis aut malitiæ merito: & has perpetuis damnari carceribus, illis facilem esse ad vitam reditum.* Ipsemet alias profitetur (ex Pharisæorum indubie sententijs, quibus maxime fuit addictus,) piorum animas in cœli regionem recipi, inde vero volventibus seculis puris iterum corporibus sociari: impiorum autem à tenebroso orco suscipi.

Chelec Chr. Gersonis pag. 8.

Ios. l. 2. bell. cap. 7.

Idem l. 18. Antiq. c. 2.

Lib. 3. de bello Iud. cap. 14.

Quamvis vero ex Veteris sacri codicis monumentis hi errores absque multo fortassis labore queant coargui, tamen ut alia quamplura ita & carnis desideratam hanc salutem, Novi fœderis scripta longe disertius apertiusque fidelibus omnibus affirmaverunt. In universum

versum scilicet & præmia & pœnæ æternæ non ignotæ quidem jam olim, (utpote quas ignorare homines vetet ipsamet recta ratio nullis etiam divinis oraculis instituta) non tamen claris&perspicuis, vel ipsius Mosaicæ legis, sive promissis sive comminationibus innotuerunt. Ex quo Christus vero noster orbem docuit, tantum non sola illa præmia & solæ illæ pænæ fidelibus infidelibusque sunt proposita, inque his carnis resurrectio, alia in emolumentum alia in damnum perpetuum. Vsq; adeo ingens est fœderis utriusque, pœnarum etiam præmiorumque ratione, diversitas. Sane non alia de caussa, vitam atque
2. Tim. 1. 10. Tit. 1. 3. Hebr. 7. 19. immortalitatem in lucem productam per Evangelium, spem item vitæ æternæ per Evangelij prædicationem patefactam, necnon spem nunc meliorem introductam esse, à sanctissimo est Apostolo proditum. Certe carnis resurrectio adeo sæpe, adeo multis, adeo certis & ambiguo omni carentibus est sermonibus, & à Servatore ipsomet & à Novi fœderis præconibus promissa, & omni quidem fidelium infideliumque ordini promissa, ut disertius & certius quî fieri id possit, haud appareat. Hinc etsi colluvies illa omnis hæreticorum, quæ primum alterum-
Tertull. de Præsc. c. 20. que Ecclesiæ Catholicæ seculum infestavit, futuram hanc corporis felicitatem impugnaverit: ijdem tamen in creatorem rerum omnium blasphemi, scriptis etiam Apostolicis, præ quorum splendore errores eorum disparebant, alij his alij illis, aut in universum aut ex parte fidem denegaverunt. Frontem sane perfricuere, qui patrum nostraque ætate non erubuerunt & agnoscere verbis sanctorum veritatem scriptorum, & simul nostræ
Calv. instruct. c. 8. & 22. carni hanc suam spem præcidere.

Sunt autem ejus ordinis ij qui Libertini audiunt, & hæresiarcha-

hæresiarcharum principis Davidis Georgij assectæ, ut & illi qui sese *familiæ amoris* titulo vano alijs venditant: minus noti quidem terris hisce (quo nomine immortales Deo gratias debemus) at Belgio vicinisq; regionibus nimium (heu) familiares. Quos tamen ita circa corporis salutem insanivisse, minus forte mirum est, quum eorum plærique animæ etiam perennitatem suam ereptum eant. Magis sane non tantum admirandum sed dolendum etiam est, illum ad cujus eruditionem, & industriam, & probitatem obstupuit olim sanctissima Ecclesiæ ætas, Origenem inquam Adamantium, ut alibi ita & hic aberrasse, imo erroris sui applausores invenisse, nec paucos nec vulgaris notæ. Novis scilicet ille corporibus quidem animas nostras induendas iterum credidit, non vere tamen carneis, osseisque, nec ex illa materie ex qua hæc sunt nostra, terræ nimirum & aquæ miscella, sed nescio qua cœlesti conflandis. In quam tamen inanem opinionem non nisi prava verborum S. Apostoli Pauli interpretatione videtur prolapsus, dum viribus ingenij sane magni plus debito hac etiam in re confideret, in S. Scripturæ & lectione & interpretatione omnium ætatis suæ & versatissimus & felicissimus. Æque fortassis & dolorem & admirationem meretur, Ioannem cui industria φιλοπόνȣ, professorium munus quod Alexandriæ obivit Grammatici cognomentum peperit, itidem in hunc lapidem claro adeo meridie impegisse, & quidem errore aliquo philosophico inductum, quum tamen omnis prisca Ecclesiæ ætas habuerit forte neminem, cui vir ille philosophiæ accuratioris peritia sit secundus, unus quippe inter antiquiores Aristotelis interpretes Christiani nominis. Ex nihilo nimirum omnem

Poppius via angusta p. 272.

Vide Epiphan. hæres. 64.

1. Corinth. xv.

Phot. vol. 21. 22. & 23.

rerum essentiam generari credens, & corruptione in nihilum resolvi,, caussæ materialis natura minus probe perspecta, non ex pulvere aut materia in quam caro nostra dissoluta sit carnem resuscitatum iri opinatus est, sed ex nihilo novam omnino carnem orituram, non renascituram vero eam qua nunc induimur. Sic satis consentanee quidem docens hypothesibus suis (apertum quippe est, ad id ut idem quid in lucem redeat postquam semel occidit, requiri ut saltim id ex quo res nascitur idem permaneat) at quas rectior philosophia facile falsi coarguisset, ex entitate videlicet aliqua potentiali, quam materiam dicimus, res oriri non autem ex nihilo, & in illam entitatem abire rursum quæ pereunt non autem in nihilum interire. Est quur gratulemur ævo nostro, quod quidem habeat qui à philosophiæ isthoc errore sibi non cavent, resurrectionis tamen spem hactenus illi integram servaverint. Vtinam vero nulli etiam inveniantur, quos Paulini sermonis erronea interpretatio in Origenis sententias abripiat, quibusque fraudi sit grandis mysterij per Paulum facta communicatio! Quis ignorat autem diserte Origeniana illa amplecti tantum non omnes, qui Fausti Socini placita vel aperte vel dissimulanter sequuntur? Vtique enim illi negant carnem & sanguinem à morte nos recuperaturos, sed aliud aliquod spirituale corpus, incertum qua ex materia conditum.

Vide quæ disseruimus l. 1. Natural. Institution. cap. 4.

Cæterum eos omnes ab illa doctrina, quam Salvator ipse, quam ejus apostoli alijque discipuli omnem hunc mundum olim docuerunt, multum abire palam est. Et tamen eorum promissis unice est nobis standum: quod in arbitrio mero unius sit Dei resuscitare mortuos vel non resuscitare, atq; adeo quemadmodũ ille velit nos resurgere olim

olim, ab ejus unius ore nobis ſit petendum. Si enim necquid homo quis in re ſit pure arbitraria acturus, aliunde quam ex homine ipſo cognoſcas; quid ratiocinatio valeat circa reſurrectionis negotium non innixa Dei ipſius revelationibus? Iam vero Apoſtolos prædicaſſe ſalutem carnis hujus noſtræ, non autem alterius alicujus corporis aſſumptionem, etſi nullo teſtimonio ſcripto ex ſacris eorum monumentis poſſet probari, vel illa communis primæ Eccleſiæ vox ſane demonſtraverit. In facti ſane quæſtionibus ſola ad teſtimonium fide dignum provocatio habet locum: alia probatio locum vix invenit. Audiantur vero qui Apoſtolorum ævo proximi vel ipſos vel eorum auditores audiverunt. Audiatur ſaltem quid Iuſtinus, quid Athenagoras, quid Theophilus, quid Tatianus, quid Irenæus, quid Tertullianus: in Europa, Aſia, Africa, ceu vulgo in Eccleſia de carnis reſurrectione creditum commemorent. Nihil profecto in ijs comperies quod Origenem aut Philoponum aut Socinum ſapiat. Omnia catholica ſunt: omnia noſtra. Hujus carnis reſurrectionem oppugnarunt tum gentiles & hæretici: hujus carnis reſurrectionem illi defendunt: & Iuſtinus quidem, Athenagoras, Theophilus, Tatianus, contra gentiles; Irenæus contra hæreticos; Tertullianus contra utroſq;. Nihil poſtea Origenes, nihil Socinus, nihil Philoponus, nihil alij hactenus attulerunt, quod non jam tunc ab illis confutatum ſit. Ita docuiſſe Apoſtolos, uberrime & omnium doctiſſime ex eorum monumentis Irenæus: ita docentes nihil à ratione attuliſſe alienum, ex ipſa philoſophia Athenagoras cumprimis evicerunt. Vtque id non feciſſet tam præclare Irenæus, tamen

Vide l. v. cap. 4. ad 15. uſq. Athen. l. de reſurr.

men Apoſtolicum id dogma eſſe, vel illa conſenſio Ecclesiæ ejus primæ ſatis probaret. Vt enim univerſa Eccleſia iſthæc ab Apoſtolica doctrina, quæ poterat adhuc auribus tum inſonare, abjerit, ἓν τῶν ἀδυνάτων eſt. Non per errorem id fieri potuit: obſtat temporum vicinitas, obſtat diligens attentio, obſtat Spiritus Sancti promiſſio. Non ſponte & ſcienter id factum eſt: obſtitit pietas incomparabilis & ſanguine obſignata. Non neceſſum autē eſt hoc argumenti genere nunc uti. In promptu ſunt monumenta, ipſamet Apoſtolorum ſancta & infallibili manu conſignata. Hæc profecto mortuos revicturos clamant. Sunt autem mortui non animæ humanæ, ſed homines anima & corpore conſtantes per mortem autem diſſoluti. Hæc non ex cœleſti quadam aliave tenui materie, ſed ex pulvere terræ, atq; ex monumentis in quæ illa ſunt recondita, reſurrectura corpora promittunt. Hæc mortalitati noſtrorum corporum immortalitatem pollicentur. Hæc ſpondent nos reſurrecturos quomodo Chriſtus reſurrexit, ille ex mortuis primogenitus. Hæc corpora rediviva tradunt fore ſimilia illuſtrato corpori Salvatoris, quod in monte Thabor lucem quidem cœpit fundere, carnis tamen naturam non exuit.
2. Corinth. 5. 10. Hæc denique profitentur: *Omnes nos manifeſtos fieri oportere coram tribunali Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum ſive malum.*

Quorſum vero hic ſermo? Surrexit Chriſtus hodie, CIVES, ille victor atq; triumphator mortis. Ejus memoriā quî rectius celebraverimus, quam ſi cum univerſa Eccleſia catholica jungamus ſpem noſtram de reſurrectione hujus qua jam induti ſumus carnis, atq; inſtituamus vitam ſpe tanta dignam. Non patiemini ergo, ô boni, vos

decipi

decipi ab hæreticis quorum sermo habet cancri instar. Multo minus moribus improbis certa hac felicitate vosmetipsos destituetis. *An ignoratis* scribit Apostolus, *quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ejus esse baptizatos? Consepulti sumus igitur ei per baptismum in mortem: ut sicuti suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in nova vita ambulemus.* Mortui sumus peccato cum Christo mortuo: cum eodem resurgente spiritum ejusdem induimus. *Si autem spiritus ejus qui suscitavit Iesum ex mortuis habitat in vobis, is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra, per inhabitantem ipsius spiritum in vobis.* Hoc speretis, hoc agatis, ô optimi. Ita & festum rite celebrabitis, & quæ sive jam tum speratis sive sperare nondum potestis, bonis olim fruemini. Equidem cum Apostolo Deum Domini nostri Iesu Christi veneror, *uti pater ille gloriæ det vobis spiritum sapientiæ & revelationis per agnitionem ipsius, illuminatis oculis mentis vestræ, ut sciatis quæ sit spes illa vocationis ipsius & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis: & quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo sed etiam in futuro.* V. P. P. in Academia Iulia V. April. clɔ Iɔc XL.

Rom. VI. 3.

Rom. VIII. 11.

Ephes. I.

PROGRAMMA II.

IN FESTO PENTECOSTES

P. P.



Nniversarium hoc festum, CIVES, ad serias meditationes cultumq; solito magis sedulum nos invitat ejus, qui lavacro regenitos cœlesti sanctitate omnes vestivit. Tametsi enim numquam illi non hymnos & gloriam debeamus, nunc tamen cumprimis, & majore quidem devotione, fieri id par est. Neque vero poterit non acceptum esse illi, si & nos in hoc septemtrionis angulo cum oriente, occidente & meridie pias elevemus manus, atque ita hecatombas, una cum omni sanctorum cœtu, ore nostro immolemus. Fiet autem hoc ipsum rite, si & sententiam nostram jungamus universæ Ecclesiæ sensui, animosque nostros cum eadem purgemus à sordibus peccatorum. Qualis enim fuerit in hymno strepitus, si nos soli fortassis, aut cum paucis graculis, alium Spiritum, aut aliud de illo Spiritu cecinerimus, quam universa per omnem terrarum orbem patens Ecclesia canit? Profiteamur igitur & nos fidem nostram *Symb. Constantin.* εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ σὺν Πατρὶ καὶ Υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον. Hoc enim Indus, hoc Arabs, hoc Æthiops, hoc Græcus, hoc Hispanus, Italus, Gallus, hoc omnis mundus nunc personabit. Neque vero tanti nobis esse debet in Sarmatia quorundam existimatio, ut cum illis vocem jungere potius malimus: quasi scilicet Spiritus S. à Patre non sit distincta quædam ὑπόστασις, sed qualitas aliqua, cui adorationis cultus non debeatur,

debeatur: quam consona toti mundo canere. Nemini ignotum est, sublimiora esse divina isthæc, quam ut ijs penetrandis acies mentis nostræ sufficiat. Caligant nimirum oculi nostri ad istum solem & obtenebrantur. Itaq; nihil hic scimus nisi quod Deus ipse scire nos fecit, per eos quibus majus cum illo commercium fuit. Audiamus ergo Prophetarum, audiamus Apostolorum doctrinam. Fuit videlicet & apud antiqui fœderis homines, S^ti. Spiritus haud infrequens mentio, etsi exinde apertior scientia, & beneficium nobis majus ab ipso illo Spiritu contigerit. Invenimus enimvero & in Propheticis monumentis Spiritus vocem, & mitti illum à Deo. Apud sequioris ævi Judæos itidem in confesso est, Spiritum quo sancti vates sunt agitati, creaturam non esse, distingui tamen à mittente Deo. Non à nobis hoc habent illi, quos oderunt & detestantur; sed coacti codicum sacrorum testimonijs, & patrum suorum doctrina confirmati idipsum profitentur. *Vide notata Grot. ad l. v. de Ver. R. C.* Iam & Apostolorum volumina ita semper de Spiritu S. loqui, ut quisquis alia illa non ante sit imbutus opinione, haud possit eorũ verba aliter accipere quam nunc accipit Ecclesia, sole clarius ipsa nos res docet. Audimus ibi vocem Spiritus: vocabulum sane omnibus scriptoribus omnibusque populis substantiam denotans, non qualitatem. Audimus mitti illum à Patre; & in ipso Salvatoris lavacro seorsim loqui Patrem, seorsim apparere Spiritum, non imagine qualitatis alicujus, sed columbæ h. e. substantiæ. Audimus omnes gentes baptizandas esse in nomen Patris, Filij & Spiritus S. Quis vero hominum usquam ita loquutus est de qualitate quadam, quando de substantia, cui inhæret illa affectio, facit verba? Audimus clamantem Ioannem: ΤΡΕΙΣ εἰσιν οἱ *1. Ioh. v. 7.*

μαρτυ-

μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ, ὁ Λόγος καὶ τὸ Ἅγιον Πνεῦμα.
Ioan. 16. 13. Servator ipſe ait: ὅταν δὲ ἔλθῃ ΕΚΕΙ͂ΝΟΣ τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας. Hæc profecto quiſquis legit vel audit, quomodo ſibi perſuadeat Spiritum S. eſſe qualitatem aliquam aut virtutem Patris? Nec vero quod fortaſſis ſemel alibi virtutis idem nomine appelletur, τῇ ὑποστάσει ejus quidquam derogat. Simoni mago illi à Samaritanis acclamabatur: οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἡ μεγάλη. *Act. VIII. 10.* Chriſtus ipſe appellatur virtus & ſapientia Dei. Deus in Pſalmis paſſim audit, fortitudo & robur noſtrum. Et quid opus eſt verbis? Subſtantiæ qualitatum vocabulis denotari nonnunquam ſolent ac circumſcribi: at de qualitate quadam quaſi ſubſtantia ſit, conſtanter loqui ſolet nemo. Vt repugnat hoc rectis loquendi legibus, ita hactenus exemplo caret. Aut decipere itaque voluerunt Prophetæ pariter & Apoſtoli plebem imperitiorem, (cui profecto inprimis ſua ſcripſere,) aut id voluerunt quod vult Eccleſia Catholica. Vt interpretatio alia habeat locum, prohibet æterna & juſta loquendi regula: quam nemo violat niſi improbus, nemo ab Apoſtolis credit violatam niſi impius.

Agite vero demonſtremus & alio modo, idipſum ſenſiſſe Apoſtolos, quod verbis præ ſeſe tulerunt. Interrogemus priſcam Eccleſiam quid audierit docentes. Standum profecto eſt illius teſtimonio. Etenim apud omnes perinde homines in confeſſo eſt, in facti quæſtionibus humano teſtimonio fidendum eſſe, utpote quod unicum eſt in iſtiuſmodi dubijs fidei argumentum. Ipſimet etiam hæretici noſtri, qui ita contra Spiritum Sanctum inſaniunt, ſolo Eccleſiæ iſtius veteris teſtimonio ſeſe codices Apoſtolicos dignoſcere, non dubitant affirmare. Et *Socin. de auct. ſcript. c. 2.*

recte

recte quidem. Hoc autem si verum est, verum fuerit & illud citra exceptionem: quicquid prisca Ecclesia unanimi consensu docet ab Apostolis traditum sibi esse, id Apostolos olim docuisse. Nam si exceptionem patitur hæc regula, nihil amplius certi suppetit quo vel prius illud probes, codices sc. quos ut Apostolicos veneramur esse Apostolorum. Est autem nos inter & adversarios illos etiam hæc lis mera facti controversia, quid scilicet de Spiritu Sancto docuerint Apostoli, nec ne. Consulamus igitur antiquissima non unius Romanæ aut Africanæ Ecclesiæ monumenta, sed ex Asia quoque judices advocemus. Atqui ex omnibus illis terrarum partibus consentiens pro nobis testimonium adfertur, adeo ut ne memoria quidem novi istius dogmatis, quod nunc quidam male feriati excogitaverunt, ulla reperiatur. Quid, quod ne hæreticorum quispiam ita olim insaniisse memoretur? Nam ne quidem Praxeas, qui *primus ex Asia* (ut loquar cum Tertulliano) *simile genus perversitatis intulit Romanæ humo*, vel Noëtus, vel Sabellius Spiritus voce qualitatem in Deo aliquam notari crediderunt. Suam vero fidem, quam & nos cum omni hodieque mundo profitemur, affirmant antiquissima Ecclesiæ monumenta sibi ab ipsis Apostolis eorumque auditoribus esse traditam, nec aliud quid sonasse ætate isthac reliquas Christi Ecclesias, ubicunque etiam terrarum fuerint congregatæ. Enimvero aut fallunt nos patrum monumenta, & docuit tum aliter Ecclesia quam scripta hæc præ se ferunt; aut certe pro nobis testimonium veritas reddit. Vt omnia nos fallant, principio procul abest ab illa Ecclesiæ cura quam gerit Spiritus S. Qui

Tertull. l. contra Prax.

ille patiatur tam robusto argumento, quo in facti controversiis (quales sunt pleræque nostræ) nihil esse firmius potest, homines pios trahi in perversos errores, ipsum divinum cultum immutantes? Deinde ne fieri quidem hoc potuit, si vel naturæ ordinem consulamus. Aut enim viri illi decepti ab alijs nos decipiunt, aut ipsimet turpiter mentiti sunt. Vtrumq; ἀδυώατον est. Sane unus potuit aut alter vel decipi vel mentiri: ut omnibus id contigerit, viris utiq; prudentibus, pijs, non uno loco hærentibus, sed toto divisis orbe, non uno tempore viventibus sed diversissimo, hoc vero ἐν τῶν ἀδυνάτων est. Nota nobis est pietas illorum, ad quorum nunc scripta appellamus. veritatis studium plerique morte ostenderunt. Nota est illorum eruditio. hanc libri loquuntur. Eruditio deceptionem, pietas mendacium non patitur ne in singulis quidem. *Omnium mortalium consensio vox naturæ est*, ajebat ille. Omnium Patrum consensio quidni sit nobis vox totius Ecclesiæ Catholicæ? An vero & fidem primorum omnium Christianorum in quæstione facti ausis reijcere? Cæterum etiam tum quando Ecclesia illa prisca profitetur hoc vel illud sese credere, tacite eadem innuit, sibi hoc vel illud ab Apostolis esse traditum. Non enim quidquam docere voluit præter id quod traditum erat. Quare ne quidem est necessum, isthæc tantum testimonia Ecclesiæ veteris attendere quibus adjectum est illud: *ita traditum est, ita accepimus*. Sufficit, si constet, *quid ubiq; vel tum, quid ab omnibus sit creditum*. Omni nimirum hujusmodi etiã testimonio testimonium illud inest: *à majoribus retro ad Apostolos usq; ita traditum esse*. Igitur vel nuda primæ Ecclesiæ istius de Spiritu

S. di-

S. dicta nobis queunt esse in testimonium eorum quæ Apostoli docuerunt. Omnia autem illa nihil minus quam pro hæresi faciunt, sed plane sunt nostra.

Quis porro ille est, qui nos docuit quod mille & quingentos annos certum est Ecclesiam latuisse? Propheta ne aliquis aut Apostolus? Non sane. Miracula certe nulla edidit: quibus tamen Prophetæ & Apostoli fidem dictis suis adstruxerunt. An quis ingenio supra omnes mortales acuto? Ne hoc quidem. An aliquis omnibus omnium seculorum martyribus & sanctis suppar pietate? Non profecto; sed Faustus Socinus, homo mediocris quidem ingenij & doctrinæ, plurimorum autem novorum dogmatum in Ecclesiam invector. Hic ille scilicet est, qui primus tot in seculis Spiritus sancti naturam intellexit, qualitatem videlicet Patris esse, non ὑπόστασιν aliquam singularem.

Vos vero, ô boni, fugite nobiscum ab illa mephyti. Non potestis cum illis unum aliquem sacrum cœtum colere, qui non adorant illum qui vos sanctificat, Deum. Neq; vero probitatis illa species quam quidam eorum præ sese dicuntur ferre, vobis imponat. Si vere enim Deo judici illa probaretur, non tantis fortasse erroribus agitarentur. *Qui me amat illum amabit pater meus, & ego illum amabo & me illi manifestabo*; item: *Quando venerit Spiritus veritatis, ille vos ducet in omni veritatem*: promisit ipsemet Salvator. *Spiritus veritatis de me testabitur*, dixit idem. Quis crediderit ergo veram Deoque acceptam probitatem cum adeo fœdis erroribus conjungi posse? *Fructus probitatis sapientia est*, dicebat ille. Et vero sapere quidem multum potes, & tamen τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ deti-

Ioan. XIV. 20.

Ioan. XV. & XVI.

detinere: at probus nemo esse simul & insipiens potest.
Ioan. IV. 23. 24. Certe impium videtur creditu, permissurum Deum, ut quis adoret in Spiritu & non in veritate. Quin ergo fugiamus ab illis novæ sapientiæ doctoribus, sicut prisca Ecclesia, pura adhuc & simplex, profanas istas novitates semper detestata est. Maneamus in gremio ejus quæ nos antehac generavit Catholicæ societatis; ab illius uberibus sugamus lac doctrinæ; cumque illa *glorificemus Patrem, Filium & Spiritum S. Deum benedictum in secula.* Ita habitabit in nobis etiam S. Spiritus & *sanctificabit nos in omne veritate.* V.P.P. pridie Pentecostes cIↃ IↃc XL.

PROGRAMMA III.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI

P. P.



CRastini die, mensis Decembris quinto post vicesimum, magni Domini & Salvatoris nostri natales celebrabimus. Quamvis enim memoria illa animis piorum perpetuo obversetur, cumq; incertum sit sacræ nativitatis tempus, parum fortassis referat qua hora majore cultu fiat isthæc recordatio: nefas tamen fuerit, vel omnino nullum vel ab illo quendam alium diem pietati huic præ alijs consecrare; præsertim quoniam aliquem diem mille jam quadringentos annos amplius etsi non universa potior tamen Christi Ecclesia, hunc ipsum annos totidem majori ex parte occidentalis, pene mille ducentos etiam nobilissima orientalium, memoria illa sanctum habuerit. Scilicet jam Chrysostomi ætate Constantinopolitana, cum octavo Id. Ianuar. hactenus observato, commutavit hunc *Occidentem incolentibus*, uti loquitur, *antiquitus cognitum*, *quiq;* jam tum *superioribus seculis à Thracia ad Gades usq; degentibus illustris ac celebris fuerat*: quo tempore festum illud nondum in universa Ecclesia, ut nunc, obtinuisse vel ex eo discimus quod ipsemet S. Augustinus anniversarijs universæ Ecclesiæ ferijs hoc minime annumeret. Ecquis vero nolit hodie, si liceat ut licet, cum omni quaquaversum diffuso sanctorum cœtu preces & Dei laudes jungere potius, quam vel tacere prorsus vel seorsim sua agere? Sane non

Clem. l. 1. strom.

Orat. 31. edit. Fr. Ducai.

Epist. 118.

non id est hominis ad pacem & οἰκοδομὴν Ecclesiæ compositi: quales omnes nos oportet profectó esse non minus atque vera in Deum fide & pietate instructos. Optime Augustinus: *In his rebus de quibus nihil certi statuit divina scriptura, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege sunt tenenda.* Absit enim ut ideo duntaxat dies iste nobis nobis displiceat, quoniam illum Roma omnium forte prima coluerit. Neq; vero illius Ecclesiæ sine discrimine universa odisse fas est, sed tantum scortationes & immunditiem & si quo alio sese vitio contaminavit. Igitur, CIVES, etiam Vos, nunc adeo quam maxime, illam æterni numinis φιλανθρωπίαν, illum Christi nostri humilem adventum, illud grande ἐνσαρκώσεως mysterium grato, læto, & pio animo venerabimini.

Id ipsum vero tum demum commode fiet, quando & illam fidem de persona optimi Salvatoris nostri animo firmiter conceperitis, quam universa per omnem orbem diffusa Ecclesia & hodie profitetur, & ab Apostolis acceptam per omnia secuta tempora stabilem firmamque hactenus conservavit. Nec vero sine grandi piaculo abolitas dudum hæreses, minime omnium sane Photini, quam hodie in angulis Sarmatiæ maleferiati quidam recoquunt, in cætus nostros adduxeris. Scilicet non ferunt Christianæ aures Arij voculas περὶ τὸ οὐκ ὄντος; quam intolerabiliora autem sunt ista Sarmatica portenta: *Christum nostrum tum demum quando homo est natus esse incepisse, & insigni duntaxat probitate meruisse* ἀποθέωσιν! Certe in Deum & Salvatorem nostrum hæc contumeliosa sunt. Nec enim ipsemet ille, tum etiam quando in hisce terris majestatem suam divinam dissimulans quasi servum ageret, non aperte identidem professus est: Abrahamo

ſeſe priorem, ſeſe cœlitus in hunc mundum deſcendiſſe eodem rediturum, ſeſe gloriam habuiſſe ante hunc mundum conditum, ſeſe proprium eſſe Dei filium, non ſc. quemadmodum angeli aut homines probi in Dei filijs cenſentur, quod eſt, ipſis inimicis Iudæis interpretibus, Deo ſeſe parem dicere: poſtremo paſſus eſt à diſcipulo Thoma ſeſe nuncupari, Deum & Dominum. Quæ ſola ſufficiunt profecto jugulandis impijs Photini commentis. Quanto fortius vero premunt quæ de Chriſti noſtri ſublimi divinitate paſſim ab Apoſtolis & viris Apoſtolicis clariſſimo ſermone memorantur? Cujuſmodi ſunt: *in principio jam fuiſſe: fuiſſe in principio apud Deum: fuiſſe jam tum Deum: per illum omnia eſſe facta: nihil quod factum eſt ſine illo factum eſſe: per illum ſecula condita: per illum omnia condita, quod in cœlo aut terra, quod viſibile & inviſibile eſt: hunc eſſe illum cujus thronus eſt in ſeculum ſeculi, qui initio terram fundavit, cujus manuum opera cœli ſunt: hunc eſſe primum & ultimum, A & Ω: hunc eſſe Deum ſuper omnia benedictum in ſecula: qui erat eſt & venturus eſt,* quomodo unius Dei Opt. Max. nomen ex antiquiſſima conſvetudine Iudæi hodieque circumſcribunt. Fruſtra tam luculento ſoli nubem tentat obducere hæreſis. Alienos ab Eccleſia ſenſus lex æterna interpretandi non admittit. In ſalutem enim hominum non tam doctorum quam ſimplicium ſcripta ſunt omnia: eoque non eſt Apoſtolicum quod ſimplici & maxime obvio ſenſui adverſum eſt. Vnus ille *Verbi* titulus Chriſto noſtro tributus, ſatis indicat quam procul ab Apoſtolica doctrina abſit hæreſis. Illo enim æternam numinis vim Iudæis ipſa Apoſtolorum ætate jam notatam eſſe, vetat nos dubitare Philo Alexandrinus, imo vetant Chaldæi paraphraſtæ. *Vide notata Grot. ad l. v. de Ver. R. C.*

Tharg. Hierosol. Genes. 3. Illo plane ævo nata est, & quidem Hierosolymis ipsis nata est, illius quod in Genesi dicitur, *Ecce Adam factus unus ex nobis*, interpretatio isthæc : *Et dixit verbum Iehovæ, ecce Adam quem creasti est unigenitus in mundo sicut ego unigenitus in cœlis excelsis:* aut ut alij vertunt ex Chaldaico: *Et dixit Verbum Domini Dei, Ecce homo quem creavi unicum in mundo, sicut ego unus sum in cœlis supernis.* Quis dixerit voce Verbi aliud significasse Apostolos quam ferebat tum usus? Inflectere vocum solitos significatus non est sane docentium, certe non homines simplices docentium ad obtinendam salutem: quod erat tamen munus Apostolorum. Et post tot aperte scripta testimonia dubium supersit, num Sarmatica conventicula cum Apostolis faciant potius quam universa nunc Catholica Ecclesia?

Est vero & aliunde manifestissimum, toto quod ajunt cœlo ab Apostolica doctrina hæresin istam dissidere, idem
1. vero cum illa sapere hodie Ecclesiã. Enimvero non potest non esse Apostolicũ, quod proximo statim post Apostolos ævo omnis orbis Christianus credidit esse Apostolicum.
2. Non potest non esse Apostolicum, quod unanimi consensu saltim ab ipsis Apostolis fundatæ Ecclesiæ jam tum
3. docuerunt. Non potest non esse Apostolicum, in quod sanguinem suum effuderunt fideles & sancti Iesu Marty-
4. res. Non potest Apostolicum non esse, quod omne genus Spiritus S. χαρίσματα etiam multo ultra Apostolos tempore obsignavere. Ex adverso Apostolicum esse non potest, quod vel prorsus ignoratum, vel notatum novitatis, vel impietatis damnatum est olim, aut toti Christiano orbi, aut Apostolicis Ecclesijs, aut Sanctis Martyribus, aut aliis Spiritus S. dotium plenis. Atqui etiam ad hunc solem dispalescit hæresis, splendet vero Ecclesia,

Vniver-

Vniversi orbis de Christo fidem vetere traditione 1.
acceptam, seculi à nato servatore secundi fine, hanc fuisse *Irenæus*
testis est sanctissimus martyr & Episcopus Irenæus: *in l.3. c. 4.*
unum Deum fabricatorem cœli & terræ & omnium quæ in eis sunt per Christum Iesum Dei filium, qui propter eminentißimam erga figmentum suum dilectionem, eam quæ esset ex Virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo. Eandem plane, ceu toti Ecclesiæ per orbem dispersæ communem, profitetur Tertullianus ætate Irenæo pene suppar. Prorsus similem referunt in apologijs communi Christianorum nomine scriptis S Iustinus Martyr, Tatianus, & Athenagoras: quorum hodieque scripta illa superant. Sufficit vero vel unius alicujus Ecclesiæ testimonium pro demonstrando consensu illo orbis; quæ sane jam tum illa ætate erat per literas pacificas aut formatas, quas vocant, Ecclesiarum omnium inter se communio, vel, ut cum Tertulliano loquamur, hospitalitatis contesseratio. Tertio sane seculo omni morem illum optimum jam passim obtinuisse, , prohibent nos ignorare non minus ipse ille Tertullianus quam Cyprianus, cumprimis autem earum Epi- *Euseb. l.7.*
stolarum, quæ superest hodieque, in negotio hoc ipso no- *histor.*
stro contra Paulum Samosatenum exarata, à communi Ecclesiarum orientalium concilio, ad Dionysium Romæ & Maximum Alexandriæ Episcopum. Iam diu ante, sive autore sive præcipuo laudatore Xysto Papa, vix quadraginta annis ab Apostoli Ioannis excessu, cæpisse illud instituti, testis est Anastasius, recentior quidem is, qui ta- *Anastas.*
men multa habet λείψανα seculi aurei. Sane Roma profe- *in vita*
ctum hunc morem per est verosimile, & respexit illuc *Xysti.*
forte S. Cyprianus *unitatem sacerdotalem Romæ ortam* scri- *Cyprian.*
bens. Vtut autem isthæc sese habeant, jam tum altero *l. 1. ep. 3.*

Christiano seculo (ne dicam de tertio aut sequentibus) Catholicam per orbem diffusam Ecclesiam nobiscum sensisse; non potest dubitari, nec dubitant ipsi hæretici nostri, quæ est vis veritatis.

2. Eo minus dubij est, non aliam fuisse tunc fidem Ecclesiarum ab Apostolis ipsis fundatarum. De ijs quanta olim fiducia dixit Tertullianus? *percurre Ecclesias Apostolicas apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, repræsentantes faciem. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es à Macedonia, habes Philippos. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaceris, habes Romam.* Vltimam fidei sacramento contesseratam Ecclesijs Africanis fuisse, diserte adijcit: quarum fidem cum nostra eandem non semel recitarat. Ad ejusdem Ecclesiæ ut & aliarum fidem provocaverat jam ante S. Irenæus, plane noster & hæreseos confutator. Quid Alexandrina senserit Ecclesia indicabit vel unus Clemens, constitutus videlicet publicus ab illa κατηχήσεων magister: indubie enim κατηχήσεις non adversatæ fuere ijs quæ posteritati reliquit scriptis. Antiochenæ fidem discimus ex S. Ignatij apud Theodoretum & Gelasium servata doctrina, ut & ex S. Theophili integris superstitibus voluminibus; quorum alter jamtum primo alter secundo seculo ipsimet illi Ecclesiæ præfuit Episcopus. Hæc eadem tertio seculo Paulum suum Samosatenum hujus, qua de agimus, hæreseos nomine ejecit. Quam facile vero fuerit & Smyrnensem etiamnum audire Ecclesiam in S. Polycarpo, ibidem ab Apostolis constituto Episcopo!

l. de præscr. — *Irenæus l. 3. c. 3.* — *T. dial. 1. G de duab. nat.* — *Euseb. l. 7. hist.*

3. & 4. Illas porro Ecclesias quæ nostram fidem sunt professæ, adhuc sua ætate dotibus varijs S. Spiritus floruisse, non

non semel testatur Irenæus, recte dicens: *ubi charismata sunt posita, ibi oportere quærere veritatem.* Illud Spiritus testimonium diu etiam post, hic alibi, in nostræ fidei Ecclesiis viguisse, testantur ejus ævi historiæ. Ecquid vero est notius quam nostram in fidem sanctissimos martyres consensisse? Superant hodieque, si non & S. Barnabæ, certe S. Clementis Romani & S. Ignatij & S. Polycarpi, & S. Iustini & S. Irenæi & S. Cypriani scripta, ex Asia, Europa, Africa nostram fidem plane loquentia: ut de reliquorum, ex primo, altero, tertio seculo, sensu non possis dubitare. Producat ex adverso hæresis, si potest, ex aurea illa ætate suos etiam martyres: producat suorum sancta charismata: producat aliquam Apostolicam Ecclesiam sibi consonantem. Quæ nihil horum potest, quid jubeam ut illa adferat Christiani orbis consensum? *Vide l. 2. c. 57. & 58. & l. 5.*

Nobis vero in facili est ostendere, ut similia nonnulla jam olim sparsa sint, illa exiguos intra limites nec nisi brevi tempore constitisse. Intra pauca conventicula sane Ebionis & Cerinthi omnis secta conclusa fuit. Neque ex Irenæo aut Clemente aut Tertulliano colligas, etiam tum harum quampiam superfuisse. Imo jam tum interijsse pene dixeris, videns Theodotum coriarium ἀρχηγὸν *& patrem ejus quæ Deum abnegat apostasiæ* nuncupatum antiquo ejus ætatis scriptori. Sed nec hujus hæresis, etsi Romam non nihil infecerit, fortassis etiam alio commigraverit, (Origeni hinc audiens *alterum Ebionæorum genus,*) in Africam sese penetravit; utpote quum Cyprianus *epist. ad Iubaianum* non alios hæreticos noverit, quam *Patripassianos, Apellonitas, Marcionitas & Novatianos.* Defecerat vero jam, teste Augustino, quum Paulus Samosatenus in simile delirium incideret. Nec hic vero multos asseclas invenit, ut *Apud Euseb. l. 5. c. 27.* *l. 5. contra Cels.* *l. de hæresib.*

nec post Photinus. De posteriore S. Epiphanius non multum illo junior: *Etiam hujus impostoris hæresis quæ ad exiguum tempus duravit, dissipata est.* De hujus & aliorum secta gravissime Theodoretus. *Has omnes hæreses ad evertendam unigeniti divinitatem excogitavit, qui hominum perniciem molitur dæmon. Sed omnes exstinxit, qui increpat abyssum & eam exsiccat; qui dicit abysso, Fies deserta, & fluvios tuos exsiccabo. Neque enim eorum vel minimæ manserunt reliquiæ. Non Cerinthianorum; non Ebionitarum, non Elcesæorum, non Melchisedecianorum, non Sabellianorum, non Paulianistarum, non Marcellianorum, non Photinianorum: sed omnia oblivionis tenebris semel tradita, & ne eorum quidem nomina multis sunt cognita. Verum est enim, quod à nostro Servatore dictum est, omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur. Divina autem Evangeliorum dogmata pullularunt, & ad mare usque extensi sunt Apostolorum palmites, & propagines terrarum orbem impleverunt, & repleta est universa terra cognitione Domini.* Hæc Theodoretus. Quæ adduximus, saltem ut appareat quantum abfuerit semper, ut nostra isthæc hæresis cum Ecclesia de amplitudine potuerit contendere. Discere vero inde etiam est, & novitate laborare omnes hæreses & tandem intercidere, secus quam de vera & salutari fide promisit Salvator. Et vero Photini dogmatum à Theodoreti ævo nulla vestigia superfuere, donec avorum memoria nonnulli, Michaëlis Serveti furore incitati, ista ex orco revocavere.

l. 1. hæret. fabu.

Quam promtum porro fuerit ostendere, hæresi huic non deesse tantum omnem ex primo Ecclesiæ ævo consensum; verum etiam sanctos Martyres, illasque Spiritus dotibus illustres atque Apostolicas Ecclesias, imo omnem Catholicum orbem extra communionis suæ limi-

tes

tes projecisse, quotquot saltem ad modum nostræ hæreseos cœpere nonnunquam insanire? Ad illum ajo modum. Neque enim vel Ebionem vel Cerinthum, vel Carpocratem, vel Paulum (quos forte progenitores suos secta laudaverit) paria omnino cum nostra sensisse probaveris. Ne quidem de Theodoti coriarij aut Artemonis consensu nullum est dubium: ut concesserim Photinum plane præivisse. Verum omnes omnino æternæ divinitatis Filij Dei destructores, sine discrimine, à Sancta Catholica Ecclesia sanctisque martyribus procul sunt abacti. De Ebionis Cerinthi & Carpocratis asseclis nullum est dubium. Dixeris forte, datum hoc blasphemijs eorum in creatorem. At cavit heic sibi Theodotus; etiam ex virgine natum Christum confessus est, secus quam istis; & tamen illico à Victore urbis Romæ Episcopo est Christiana communione exclusus. Pari severitate erga Asclepiodotum & Theodotum trapezitam, coriarij discipulos, egit Zepherinus Victoris successor. Idem & reliquas fecisse Ecclesias ex Tertulliano discere est, qui illa ipsa ætate vixit. Nec vero est cur credas mitius sensisse Irenæum eo, quoniam in hæreticis Theodotum haud recenseat. *Irenæus l. 3. c. 31.* Scripsit enim ille opus suum Eleuthero Episcopum Romæ agente, quo tempore nondum erexerat caput Theodotus. Multo minus ex eo, quod S. Iustinus eos qui Salvatorem nudum hominem ex hominibus natum credebant, *nostri generis* dixerit, Ecclesiæ sinu illos olim comprehensos, fas est colligere. *Iustinus dial. cum Triph.* Qui enim illi fuerint alij, Iustini quidem ævo, quam Ebionis Cerinthi ac Carpocratis germina? Certe Ecclesiastica omnis historia alios, qui ita quidem tum statuerint, agnoscit nullos. Saltem vero Cerinthi asseclas ne quidem Christiano

nomine dignos imo atheos censuit idem Iustinus, ut ex ijs liquet quæ de mille annis disputat. Vt vero alij fuerint; an eos qui Christum ex Iosephi & Mariæ concubitu (hoc enim est illud ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπων) perhibuerunt natum, tulerit sancta Ecclesia? quos nec hæreticorum cætus hodie ferant. Scilicet cum Iudæo homine disputatio Iustino est, cui oppositi quasi sunt omnes prorsus qui Iesum colunt & in illo Christum. Et vero paulo ante Iudæum alloquens usurpaverat illa: ἀπὸ τοῦ γένους ὑμῶν. Eodem vero sensu passim Iustinus utitur illo πάρ' ἡμῖν: & tamen scribit, πάρ ἡμῖν νῦν πολλοὶ εἰσι καὶ ψευδοδιδάσκαλοι: innuens illam ipsam Cerinthi sobolem impie de mille annorum felicitate garrientem.

Iustin. in dialogo.

Idem Dial. contr. Triph. p.140. edit. Commel.

Illud vero perridiculum, nescio quam primæ illius sanctæ Ecclesiæ erga hanc hæresin clementiam ex Symbolis tum usitatis, & quidem ex ipso quod Apostolorum nuncupatur, nonnullos conari deducere: quoniam videlicet nihil illa habeant hæresi huic directe oppositum. Quî probaverint enim, hæresibus omnibus opponi tum quævis Symbola solere? Certe ingens illorum diversitas cogit nos dubitare. Neque enim solum Romanum ab Aquilegiensi & Orientali olim discrepasse ex Ruffino scimus, sed & Carthaginiense ex Cypriano, alia ex alijs. Fortassis ea solum expressius tum posita sunt, quæ pro tempore ab hæresibus magis urgebantur: illæ autem alibi magis alibi minus sævierunt, ut proinde ubivis æque plena formula non fuerit opus. Esto hæc tantum conjectura, uti est. Quid necessum vero fuit directis verbis impugnare, quod alijs tacite dici nemo tum piorum ignorabat? Quomodo sane nemo tum Christianus ignoravit

Ruf. exp. symb. Cypr. l. 1. ep. 6. edit. Erasm.

ignoravit Filij Dei vocibus indicari æternam illam divinam filiationem. Iam vero, dum ex formula Symboli illius Apostolici primum in Dei filium credimus, inde subjungitur conceptio & nativitas humana: nonne sat aperte dicimus, eum qui homo natus est jam ante extitisse filium Dei? Quamvis porro omnia primorum trium seculorum symbola non exstent amplius, nonnullis tamen quædam Photini placitis diserte contraria fuisse inserta non dubitamus: In illis scilicet Ecclesiis ubi majus ab isthac hæresi periculum imminebat. Quid? nonne est apertum ex catechesi XI. S. Cyrilli, Hierosolymitanæ Ecclesiæ symbolum inter alia ita habuisse: *Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, ex Patre genitum, Deum verum ante omnia secula?* Nec vero est quod putemus, illa demum post concilium Nicænum addita. Ipsemet hæreticus olim Eunomius fassus est, hanc fuisse patrum traditionem, quam & S. Basilius eodem nomine dignatur: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, ex quo omnia; & in unum unigenitum Dei filium, Deum verbum, Dominum nostrum Iesum Christum, per quem omnia; & in unum Spiritum sanctum paracletum.* Quæ formula in Ecclesiis quibusdam viciniæ illius in Oriente indubie recepta fuit: antiquior utique & ipsa Nicæno concilio, & tamen hæresin nostram jugulans. *B. l. 1. cont. Eunom.*

Quid opus vero amplius verbis est? Producant illi nostri vel unum ostiarium cum suo illo dogmate ab Ecclesia illa vetere toleratum, & in nostro quoque sinu fovebimus istam hæresin. Narrat quidem Eusebius Berillum Bostrenæ Arabiæ urbis Episcopum in hunc ipsum errorem incidisse, simul narrat vero primum Episcopos congregatos *Eusebius l. 6. c. 24. histor.*

tos multum cum illo disceptasse, Origenem tandem reduxisse hominem ad sanam fidem, minime scilicet alias tolerandum. Addit Eusebius: *quodq; pene in talibus causis inauditum est, ita errorem ab Ecclesia depulit* Origenes, *ut emendaret non perderet erroris autorem.* Vtinam idem & nunc contingeret! An licebit & hanc victoriam sperare? ubi ijs armis oppugnabitur hæresis quibus Origenes usus, quibusque multos adeo ex omni secta Christo se vicisse gloriatur sanctissimus & mitissimi animi Pater Gregorius Nazianzenus: hoc est si ad robur argumentorum accesserit docentis lenitas, & errantes in viam reducendi fraternum desiderium.

Nazianz. carm. de vita sua

Sed quo prolabimur? Dicebam ita demum rite vos, O optimi, natalitia hæc celebraturos, si non laudes tantum & hymnos jungatis cum Ecclesia Catholica, sed etiam in vera fide cum eadem maneatis. Et vero ita demum eritis accepti Deo adoratores, Spiritu nimirum instructi & veritate. *Sedenti in throno & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum.* Valete P.P. Prid. Nat. clↃ IↃc XLIV.

Apoc. c. 5.

PROGRAM-

PROGRAMMA IV.

IN FESTO RESVRRECTIONIS P. P.

NVllius temporis perinde sacra fuit ab Ecclesiæ usq; primordijs memoria, ac ejus quo morte soluta Servator noster resurrexit. Ea sane de caussa prima septimanæ feria, dominici diei nomen jam tum ipsis Apostolorũ temporibus invenit. Neq; vero alius est quem Sanctissimus Ioannes isthoc titulo appellavit. *Apocal. 1.* Quin videtur jam tum institutum, ut cætus Christiani isthoc septimo quoque die coirent: hic enim est illa *μία σαββάτων* Lucæ memorata. *Act. 20. v. 3.* Barnabæ epistola ita habet: *Διὸ καὶ ἄγομεν τὴν ἡμέραν τὴν ὀγδόην εἰς εὐφροσύνην, ἐν ᾗ καὶ ὁ Ἰησοῦς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν καὶ φανερωθεὶς ἀνέβη εἰς τοὺς οὐρανούς.* In Ignatij ad Magnesianos epistola legitur: *celebrandum diem dominicum ut dierum principem, resurrectioni Domini consecratum.* Verum utraq; epistola hæc dubiæ est fidei, imo prima citra controversiam *ὑποβολιμαία*, etsi antiqua. At certe sua ætate, id est Antonino & Marco Cæsaribus, Christiano populo receptum passim hunc fuisse morem, docet Iustinus Apologetico II: *die illo, qui solis dicitur, conventus fit omnium qui in urbibus aut agris habitant.* Omni post tempore nusquam non inter Christianos ita obtinuisse, nullum dubium est: ut proinde dubium non etiam sit, ab Apostolico hoc instituto profluxisse. Ex quo enim alio sit fonte, quod jam ex eo est ubivis receptum? Sed & alio septimanæ die tum quidem temporis non habitos solemnes cætus pene dixeris, quoniam hunc unicum diem

Iustinus memorat. Certe Romæ id invaluiſſe, ubi Apologeticus ille eſt exhibitus, merito hinc collegeris. Scilicet in Oriente etiam ſabbato quovis convenit olim Eccleſia, non minus atque dominico die. Hinc canon Laodicenus XVI. jubet: *in Sabbato evangelia cum aliis ſcripturis legi*: cum ante videlicet ſola lex recitaretur. Clarius Socrates de Conſtantinopolitana eccleſia verba faciens: *cùm feſta cujuſque ſeptimanæ occurrebant, videlicet Sabbatum & dies dominicus, in quibus conventus in Eccleſiis fieri ſolent.* Hinc Gregorio Nyſſeno ambæ hæ dies ἡμέραι ἀδελφαὶ, Aſterio *pulchra biga*, dicuntur. Verum in Occidente idem obſervatum, haud eſt legere. Imo diſerte Socrates: *de Synaxi variæ conſuetudines ſunt: nam quanquam omnes ubique in orbe terrarum eccleſiæ ſingulis ſeptimanis vertentibus die Sabbati myſteria celebrant, Alexandrini tamen & Romani ex antiqua traditione iſtud facere renuunt.* Nec vero eſt quod objicias illa ex Conſtitutionum Clementis Romani l. VII. c. 24: *diem Sabbati & diem dominicam feſtas habete, quoniam illa creationis, altera reſurrectionis memoriæ dicata eſt*: aut iſthæc ex libro octavo: *laborent ſervi dies quinque: Sabbato vero & dominica die otientur in Eccleſia propter pietatis doctrinam.* Ecquis enim eruditior neſcit, pene integris quinque prioribus ſeculis ignoratum illud opus, atque in Oriente natum à Trullanis Synodi ſextæ patribus ſtatim rejectum eſſe? Sic conſentimus quidem Zonaræ, qui in canone Apoſtolico LIV. ἡμέρας τῶν ἑορτῶν dominicam diem & ſabbatum interpretatur: verum, præterquam quod non niſi quinquaginta canones iſthoc Apoſtolorum titulo in Oriente olim fuerint circumlati, quando eos primus Latine vertit Dionyſius Exiguus, adeoque illi poſt quinquageſimum adhuc recentiore ſint fœtura; ne quidem illos quin-

Socrates l. 6. c. 8.

Socrat. l. 5. c. 22. Vide & Sozomen. l. 7. c. 19. Adde Innocentii epiſtol. 1. cap. 4.

Can. 2.

quinquaginta ullius fuisse sua ætate in Occidente autoritatis, nec omni Orienti placuisse, testatur ipse ille interpres Dionysius: Ante quem Gelasius Papa Romanus canones illos tanquam suppositítios jam damnaverat, non de posterioribus illis tantum locutus quod nonnulli volunt, sed de ipsis illis quinquaginta, solis quippe illis tum cognitis.

Apud Grat. dist. 13. cap. sancta Romana.

Cæterum non nisi resurrectionis memoriæ etiam est datũ, quod in illa prima feria ne quidem ipsamet solennia jejunia per omnem olim ecclesiam habuerint locum; tanquam id temporis piæ lætitiæ sit penitus consecratum. In cujus honoris societatem aliam quam diem Christianus populus non accepit. Namque etsi Orientales, Africanæ item & in Italis Mediolanensis ecclesiæ sabbato etiam quadragesimalia jejunia (quibus alia nulla solenniora) non admiserint, tamen etiam istæ omnes illud quod Pascha antecedit sabbatum ab isthoc ordine excluserunt, & Romana aliæque *nonnullæ Occidentis*, jam ævo Augustini, sabbato omni jejunarunt. quæ consuetudo non multo post in legem abijt, præeunte Innocentio id nominis primo Papa. Crevit vero festivitas dominicæ procul dubio, libertate otiandi à sabbato in hanc diem translata. Quam in rem est canon Laodicenus vicesimus nonus. Multo magis aucta est, loco arbitrarij otij, successu temporis, indictis per leges plebi, sub pænæ gravis comminatione, ferijs ab omni opere cerdonico (recte an secus, jam non disputo) vetito item per Constantinum illo die Christianos in jus vocare: quod edictum est apud Eusebium. Cumprimis vero ad sacrum gaudium, illi diei in resurrectionis memoriam conveniens, pertinuit in erecto corpore adoratio. Illud jam olim, saltim Africanis Ecclesijs,

Aug. ep. 86.

Vide & Sozom. l. 1. c. 8.

L. de cor. mil. fuisse usitatum, testis est locuples Tertullianus: *Die dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare.* Toto vero orbe receptum fuisse, non nisi paucis contra euntibus, liquet ex canone Concilij illius maximi Nicæni xx: *Quoniam sunt quidam in die dominico genua flectentes & in diebus pentecostes, ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto concilio, stantes domino vota persolvere.*

Verum hæc quando & quibus auctoribus cœperint, nos quidem haud habemus dicere. Ab ipsismet Apostolis profectam dominicæ diei observationem & sacram aliquam venerationem, nullum est dubium. In ejusdem vero triumphalis Resurrectionis recordationem, ab ijsdem ipsismet Apostolis, & anniversarias Paschales festivitates institutas esse, itidem vix licet dubitare. Iam tum enim S. Polycarpo & Aniceto vivo passim terrarum festum illud à Christianis fuisse celebratum, colligere est (*Vide Euseb. l. 5. c. 26.*) ex ijs quæ S. Irenæus ad Victorem perscripsit: quod tempus incidit in Antonini Pij imperium, si credimus Eusebij *chronico.* Imo jam tum ipsum Anicetum, de die Paschalis festi oborta controversia, *morem presbyterorum qui se erant antegressi,* allegasse, diserte testatur sanctus ille martyr Irenæus. Irenæi vero ætate, & quidem Sep. Severo Cæsare, Asiaticos quoque ad Philippum & Ioannem Apostolos, Episcopos item Palæstinæ synodi ad Apostolicam traditionem provocasse, liquet ex Polycratis Asiatici & Palæstinorum verbis, ab illo rerum primitivæ Ecclesiæ promocondo Eusebio conservatis. ne nunc adducam ex sequentibus seculis testem alium.

Etiamsi vero Apostolis visum fuerit pietati consentaneum, ut solemnis aliqua anniversaria festivitas haberetur dominicæ Resurrectionis, in vicem Iudaici Pascha-

tis,

tis, quippe quum illa resurrectione vincula mortis & inferni sint soluta, quemadmodum in solutæ servitutis Ægyptiacæ memoriam Paschales feriæ à Iudæis sunt celebratæ: tamen diem aliquem certum illi rei dedicasse Apostoli non videntur. Certe præceptum nullum edidere quod non observare sit nefas. Et vero qui id fecissent, qui Christianos ab ejusmodi jugo liberos pronunciaverunt? Bene Socrates, recti judicij scriptor: *Neque Apostoli neque Evangelia ipsa jugum servitutis his qui* l.v.cap.21. *ad doctrinam Christi se contulerunt omnino imponunt, sed festum Paschatis aliaque festa libero æquoque judicio, eorum qui in illis diebus beneficia acceperunt, recolenda reliquerunt. Vnde quoniam homines festa amplectuntur quo se à laboris contentione relaxent, idcirco illis diebus singuli in singulis locis pro arbitratu memoriam salutaris passionis ex quadam consuetudine celebrant. Nam neq; Servator, neque Apostoli istud observandum lege aliqua præceperunt: neq; mulctam aut supplicium, sicut lex Mosaica Iudæis, vel Evangelia vel Apostoli nobis minati sunt.* Recitat quædam verba ex Apostolorum διατάξει & Epiphanius *hæres. 70.* contra Audianos, ubi itidem omne hoc quasi sit indifferens, proponitur. Eo sane factum, ut statim Ecclesiæ initio, Paschales suas ferias non uno tempore Christiani celebraverint. Asiaticos enim, jam tum S. Ioanne & Philippo Apostolis vivis, & sequente tempestate omni, decimam quartam lunam primi mensis Iudaici, (ejus initium vero erat proximum æquinoctio verno novilunium) quo tempore tum Iudæi suum Pascha agebant, festam habuisse, constat ex Polycratis epistola Synodica adversus Victorem. In occidente diem aliquem dominicum illi pietati consecraverunt. Socratis l.5.c.21. verba sunt; *Qui quartodecimo die mensis Pascha celebrant,*

eum morem observandi à Ioanne Apostolo ipsis traditum dicunt: qui autem Romam & alias partes Occidentis (horum autem longe plurimos fuisse, liquet ex epistola Constantini ad Ecclesias apud *Socratem l. 1. c. 6.*) *Petrum & Paulum Apostolos consuetudinem, quam illi tenent, ipsis reliquisse affirmant. Verum nemo istorum omnium testimonium de his rebus proditum scriptis, proferre potest.* Iudicat vero ille rectissime: utut in alia sententia fuerit Acesius magni nominis Novati assecla, quas partes Socratem etiam tutatum, nonnulli, (non sine injuria tamen quantum arbitror) criminantur. Quantum enim ex Polycratis & Irenæi epistolis de hoc negocio scriptis liquet, ne illo quidem tempore Victor Romanus aut Polycrates Asiaticus pro sua parte præceptum aliquod Apostolicum adduxerunt, minime profecto idipsum omissuri. Vt commentis posteriorum temporum merito sit hoc annumerandum.

Socrat. l. 1. c. 7.

Imo vero dixerim pene, Romanorum illud institutum ab Episcopis esse profectum, & quidem jamdudum Apostolis illis mortuis. Epiphanius quoque videtur indicare, Asiaticum fuisse initio omnibus communem & ab Apostolis suasum. Antiochenos usq; ad Nicænam synodum Asiatici fuisse moris, ut & Syros, notat ex Athanasio & Chrysostomo Iacob. Vsserius Armachanus *Dissert. de Epist. Ignatij pag. 97.* Atqui Antiochena Ecclesia fundata est à Petro, itaque & ab illo iste ritus fuerit fortassis. Sit hoc levius. At vero diserte etiam Irenæus ad Victorem: *Presbyteri* (isthoc nomine autem Episcopos intelligit) *ante Soterem qui Ecclesiæ cui tu jam praes præficiebantur, Anicetũ dico, Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum, licet neque ipsi hoc festum eo die quo Episcopi Asiæ observarent, neq; aliis post se ita observari permitterent, nihilominus tamen cum Episcopis illarum Ecclesiarum, in qui-*

in quibus hoc observabatur, ad se accedentibus, pacem & concordiam inter se perpetuo retinuerunt. Ex quibus verbis colligere utique est, à principe Sixto institutum, ut die dominico Paschalis festivitas Romæ celebraretur. Neque enim aliam caussam temere adduxeris, quare Irenæus à Sixto tantum usque voluerit rem illam deducere. Ejusdem Irenæi de Aniceto & Polycarpo verba sunt: *Neque enim Anicetus Polycarpo suadere poterat ne servaret, quæ cum Ioanne discipulo domini nostri ac reliquis Apostolis quibus cum fuerat conversatus, semper servaverat: nec Polycarpus Aniceto suasit ut servaret, qui sibi Presbyterorum quibus successerat consuetudinem servandam esse dicebat.* Consuetudo itaque illa Romana ab Episcopis demum instituta est, Apostolorum ætate non fuit: contra quam sese habebat mos Asitaticus. In vulgato Chronico Eusebiano est: *Pium anno episcopatus secundo decretum edidisse de celebrando Paschate die dominico.* Anastasius Bibliothecarius in Pio: *Sub hujus episcopatu Hermes librum scripsit in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus Domini, cum veniret ad eum in habitu Pastoris, & præcepit ei ut sanctum Pascha die dominico celebraretur.* Idem habent sequioris ævi scriptores alij. Etiam hinc igitur colligas, principe Pio id instituti manavisse. Verum notat Iosephus Scaliger ad Chronicon Eusebij, illa de celebratione festi Paschalis *in nullo veterum codicum chronici istius comparere. Sed Marianus*, inquit, *à Beda, Beda à libro Hermæ apocrypho in sua chronica traduxerunt, & ab illis in Eusebianum textum ab editoribus admissa sunt.* Porro genuinus & antiquitus nobilis adeo Hermæ liber, qui hodieque Latine versus superat, nihil habet de festo Paschali: nec aliquis primi ævi Angelicum de Paschate præceptum laudavit Hermæ revelatum: nec fortassis Hermam Pa-

storis

storis auctorem Pij fuisse fratrem, quisquam ex illo ævo agnovit. non enim Tertulliani videntur esse omnia quidem illa carmina, adversus Marcionem libris assuta, quæ in testimonium adducit Baronius. Sed & modo ostensum à nobis est, jam tum à Sixto profluxisse institutum illud. Vt itaque non sit dubitandum illa de Pio ejusque fratre Herma, meras fabulas esse & quidem sero satis primum natas. Quare neque nos per illa commenta volumus ijs quæ diximus fidem adstruere. Et vero illa ex Irenæo adducta satis demonstrant, minime illius moris auctorem esse Apostolum Petrum, quod jam seculo tertio prætexebant Occidentalium nonnulli, & (si Bedæ credimus) Protherius Alexandrinus perscripsit ad S. Leonem Romanum. Cæterum parum refert, à Petro aliquid hac de re esse constitutum credere; modo non accipias, quasi ille secus facientes damnaverit. Illud prorsus reijciendum est, quod Baronius conatur adstruere, etiam Ioannem Apostolum in dominicum diem Pascha nostrum transtulisse. Levissimæ quippe sunt ratiunculæ, quibus ille & S. Polycrati & S Irenæo, ævo Ioannis proximis testibus, non erubescit obloqui: quas refellere nulla est necessitas.

Baron. anno 159.

Beda de rat. temp. cap. 42.

Baron. ad annum 151.

Quamvis vero, jam à Sixto usque, alia Romæ & pene omni forte Occidente (non enim licet tuto credere illi quod habetur in Theophili suppostitio libello, Gallos semper celebrasse octavum Calend. Aprilis) alia in Asianis provincijs alibique passim per Orientem fuerit consuetudo Paschalis diei, tamen universum hoc ἀδιάφορον, uti est, à pijs omnibus tum est habitum. Primus forte Soter Romanus septuagesimo post centesimum Christianæ æræ annum videtur morem illum Romanum solito

acrius

acrius commendasse. Id sane mihi videtur innuisse Irenæus scribens, eos qui Romæ Soterem præcessere cum Asiaticæ consuetudinis observatoribus pacem Ecclesiasticam coluisse. Anastasius prodit, Soteris successorem Eleutherum decreto Romanum morem sancivisse: quod nec probare ausim nec refellere. Certius est, qui Eleutherum est secutus Victorem non sine tumultu quodam negotium hoc agitavisse. Rem omnem late narrat Eusebius: est que illa ex hoc uno petenda. Non enim audiendus hic Baronius qui Hildebrandi sui plenus, ex eo quod Asiatici literas ad Victorem & Ecclesiam Romanam dederint, *Romani Pontificis auctoritate fuisse Asiaticorum Episcoporum Synodum congregatam*: ex eo quod Victor voluerit Asiaticos Christiana societate pellere, *præstantem præ cæteris Romani Episcopi auctoritatem, qui per orbem concilia indicat, & provincias non obtemperantes ejus præcepto prorsus à communione secludendo edicat*, & similia alia exsculpit: cum ex adverso Eusebius simpliciter tantum scribat, mota controversia *concilia & conventus Episcoporum in unum coactos*, imo illas synodos sententiam suam de observando sc. die dominico, *per literas ad omnes Ecclesias scriptas ratam fecisse*; Victoris vero ipsiusmet conatus *omnibus reliquis Episcopis parum placuisse, eoq; illum acriter & acerbe coarguisse*. Quæ multum profecto diffident ab Hildebrandina tyrannide. Nec tamen negaverim, jam olim serpente illo Hildebrandi spiritu, de hoc Victoris negotio nonnulla esse conficta. Ecquis enim non videt ejus notæ esse, non tantum Epistolam Victoris ad Theophilum, quam ipse Baronius imposturæ arguit, sed etiam acta synodi Cæsariensis à Theophilo Episcopo tanquam auctoritate Victoris celebratæ, quæ recitantur *libro de*

Anastas. in Victore.

Baron. ad annum 191.

AEquinoctio verno Bedæ attributo? Neque vero actorum illorum meminit veterum quisquam. Eusebius sane tantum scribit: *Decretum Episcoporum qui tum erant in Palæstina convocati ad hanc usq; ætatem scriptis custoditum est*. ne nunc dicam sublestam scripti fidem per se nemini paulo attentiori non posse non pellucere.

Cæterum ut alia reliqua ita etiam quæ fuerit tum sententia omnium pene per orbem Episcoporum de die Paschali, nemo rectius ipsomet nos Eusebio docuerit. *Omnes*, inquit, *una sententia decretum Ecclesiasticum, nempe ut non alio die aliquando quam dominico mysterium resurrectionis Domini à mortuis celebraretur, & ut in hoc solo jejuniorum quæ circiter Pascha fieri solent finem faceremus, per literas ad omnes Ecclesias scriptas ratum faciebant*. Neminem tamen Asiaticos & Orientalium alios suæ consuetudini inhærentes, uno Victore excepto, damnare conatum, imo omnes Victoris importunitatem vehementer improbasse, ex Eusebio discimus. Vt itaque nullum sit dubium secuto etiam tempore libertatem integram utrique parti permansisse. Etiam ipsum Victorem excussa bile ad saniorem mentem rediisse dixerim. Sane significat id Sozomenus, nisi memoria lapsum malis pro Aniceto Victorem memorasse. *Sapientissime arbitror solvisse subortam olim de eo controversiam Victorem tunc temporis Romæ Episcopum, & Polycarpum Smyrnensem. Etenim cum Occidentis sacerdotes traditionem Petri ac Pauli non esse contemnendam arbitrarentur, & Asiani se Ioannem Evangelistam sequi affirmarent, decreto communi statuerunt, ut quisque pro consuetudine sua festum hoc celebrarent, & communionem inter se non desererent. Stultum enim, nec immerito, censebant consuetudinis gratia à se invicem separari eos qui in primariis religionis capitibus consentiebant. Etenim*

Eusebius l. c.

Sozomen. l. 7. c. 19.

easdem & per omnia similes traditiones in omnibus Ecclesiis, quamvis inter se consentiant, invenire non datur.

Quicquid autem Victor egerit, certe ingens est calumnia Baronij, Asiaticas Ecclesias isthac tempestate docuisse, teneri Christianos omnes, quasi sub periculo salutis, cum Iudæis festum illud celebrare. Non minus certe hoc ipsum omnibus ejus ævi monumentis repugnat, atque illud: hactenus non nisi Paparum Romanorum permissu aliter Asiaticos sacra sua instituisse. Sunt autem hæc omnia ab Hildebrandi spiritu ficta, quo ἀναμαρτησίας & dominatus Pontificij portentosa dogmata etiam ex aureo seculo testimonia inveniant. Cæterum haud legas, Asiaticis Ecclesiis Paschalis celebrationis nomine vel tertio seculo damnationem indictam esse. Multo minus id factum (nec enim est quod octavum Apostolorum canonem ψευδεπίγραφον moremur) meliore & prima Ecclesiæ ætate. Nam quæ feruntur Ignatij Antiocheni ad Philippenses: *Si quis cum Iudæis celebrat Pascha, aut symbola festivitatis eorum recipit, particeps est eorum qui dominum occiderunt & Apostolos ejus*: fortasse intelligenda sunt non de tempore sed de ritu Paschatis Iudaico, imo vero mentiuntur auctorem: neque enim hæc epistola testimonium habet antiquitatis neque cum genuinis literis quid affine. Et vero quî Ignatius Ioannem Apostolum & Polycarpum, quî suæ Syriæ Ecclesias Antiochenus Episcopus damnaverit? Certe usque ad ipsum Concilium Nicænum aliter fuisse & rectius animatos utriusque partis fautores, & Socrates pariter & Sozomenus testantur. Hujus verba sunt, ut illa vertit Christophorsonus: *Nonnulli urbes versus orientem incolentes illo tempore ab aliis de hoc festo agendo dissensere, etsi à communione* *Sozom. l. 1. c. 15.*

Socrat. l.1.c.5. *mutua minime temperarunt.* Ille inquit: *dum ita de festo digladiantur, licet communione inter ipsos uti minime recusarent, festum tamen acerba animorum dissensione peragunt.*

Demum vero in Nicæno magno concilio consuetudini suæ priscæ, rogatu Constantini Cæsaris, Asiatici qui intererant renunciaverunt. Rem breviter narrant literæ illius Concilij ad Ecclesias Ægypti Lybiæ & Pentapoleos. Socrat. l.1.c.9. *Quod autem ad omnium consensum de sacratissimo festo Paschatis celebrando attinet, scitote quod vestris precibus controversia de ea re suscepta prudenter & commode sedata est: ita ut omnes fratres qui Orientem incolunt, quiq; Iudæorum consuetudinem ante in eo festo observando imitari solent, jam Romanos, nos, & omnes vos, qui eundem morem quem nos in illo recolendo à primis temporibus tenuistis, sint consentientibus animis in eodem celebrando deinceps sedulo secuturi.* Euseb. l.3. de vita Constantini. Pluribus rationibus ipsemet Cæsar Constantinus, finito jam Concilio, Ecclesiis Orientalibus illud persuadere est conatus: ceu liquet ex literis quas recitat Eusebius & post hunc Socrates ac Theodoretus. Socr. l.1. c.6. & l.5.c.21. Theodoret. l.1.c.10. Singularem aliquem circulum Paschalem in annos novendecim tum esse constitutum, memorat epistola Ambrosio adscripta ad Episcopos Æmiliæ. Quod vero non est absimile, cum absque tali aliquo adminiculo in unam dominicam omnes Ecclesiæ non queant convenire, etsi à quarta decima luna discedant. Baron. ad annum 325 At quod Baronius scribit itidem tum constitutum, ut post computum Alexandria acceptum, omnibus reliquis Ecclesijs Festum à Romanis Episcopis indiceretur, id vero Hildebrandinis ejus viri commentis est annumerandum. Per Africam sane longe aliter quotannis indictum esse Pascha, patet è canone Africano 51. Scilicet à Cyrillo Alexandrino petierunt illi Africani sibi

diem

diem indicari, & ille fecit idipſum epiſtola ad Synodũ perſcripta: nihil cooperante Romano Epiſcopo, ſed poſt Alexandrinum Carthaginienſe. Cæterum ne quidem Concilij illius Nicæni auctoritate ita in unum diem conjecta eſt Paſchalis feſtivitas, ut qui ſecus fecerit damnationis ſit reus: imo ne in Canones quidem hac de re quidquam eſt relatum, tanquam pari cum alijs diligentia & cultu obſervandum. Quod cumprimis eſt notatu dignum.

Quamvis autem ita conventum in Concilio Nicæno, &, quantum videtur, dominica dies quæ proxime ſubſequitur plenilunium primi menſis Iudaici, impoſterum Paſchali feſtivitati fuerit conſecrata, tamen ne ita quidem nonnullæ Eccleſiæ, per Aſiam præcipue, à priſtino more diſceſſere. Vnde Quartadecimanorum aut τεσσαρεσκαιδεκατίτων nomen ortum, imo procedente tempore inter hæreſes meruit computari. Indubie, quoniam ſi non omnes ſaltim plærique ejus partis, quaſi præcepto divino nos adſtringi ad quartam decimam illam lunam exiſtimaverunt. Ut ſolet ea quæ per ſe indifferens ſententia eſt, ſi illi falſo adjungas credendi obſervandique æternæ ſalutis ergo ſummam neceſſitatem, ex indifferente & non mala reddi extreme pernicioſa & lethalis: ſubruentibus ſcilicet Chriſtianam fidem non tantum ijs quæ fidei capitibus aliquid ſubtrahunt, ſed etiam quæ non neceſſaria tanquam ſint paris cum vera fide momenti ita ſuperaddunt, ut reapſe ſimplicitati ſalutaris fidei plurimum derogetur. Nec tamen ego omnes quartæ decimæ lunæ obſervatores tam gravis auſim criminis accuſare. Quin imo verendum, ne ex adverſo parem cum Quartadecimanis culpam incurrerint nonnulli catholicæ partis, ſimilem neceſſitatem ſuæ con-

Vide Can. 1. Antiocheni Concilii Orientalium. & Laodicen. 7. ut & Epiph. atq; Augustin.

suetudini tribuentes. Videas enim quosdam suum illum, sane laudabilem & merito sequendum morem, adeo prædicasse, quasi absque illo observato æternam salutem nemini liceat adipisci. Qui non minus atque illi Qartadecimani impingunt. Et vero, si quod verum fatendum est, laudem meretur hac in re Novatianorum veterum moderatio, canone suo, quem ἀδιάφορον dixere, condito. Nec tamen vel reliquorum Quartadecimanorum ab hæresi immunium caussam temere quis tuebitur: quippe qui à communi omnium consensu in re haud mala, imo laude digna, abire non dubitaverint, nullo exigente id Ecclesiæ usu. Non enim hoc est hominum ad pacem & ex Christianæ societatis decoro viventium. Quemadmodum nec rigidos illos quamvis melioris instituti exactores probaveris. Sane & illi cum libertatis Christianæ haud satis fuere memores, tum minime sapuerunt lenem Christi spiritum. Enimvero ejusmodi consuetudines divinitus haud præscriptas & præcipere severe, & cum obsequi possis haud amplecti, parilis vitij est.

Vide de Nestorio Socratem l.7.c.29.

Socr. l. v. cap. 20. Sozom. l. 1. cap. 19.

Adeo vero pertinax fuit Quartadecimanorum quorundam inveterata illa consuetudo, ut nec sua illam ætate in Asia desiisse, testis sit Nicephorus. In Hispania quoq; eumdem obtinuisse vel certe similem morem etiam anno DLXXIII, patet ex Matthæo VVestmonasteriensi & alijs: qui nescio quo miraculo illum confossum narrant. Videtur autem per nescio quem Migetium defensus, & hinc natum turpe illud nomen hæreseos Migetianorum, quam sua opera ex Bætica eradicatam gloriatur anno octavi seculi octingesimo quinto Elipandus Toletanæ Vrbis Episcopus. Seculo septimo in Scotis, i.h.e. (ut equidem interpretan-

Nicephor. l. 4. c.39. Mattha. Chron. Anglor.

Vide Beati contra Elipand. sub init.

pretandum censeo) in Hibernis, ita invaluisse scribit Beda, morem illum Asiaticum celebrandi Paschatis (indubie auctoribus illis qui primi in ea gente Evangelium prædicaverunt ex Asia oriundis) ut Honorius Papa animadversione sua dignum censuerit: exinde vero varias super ea re cum vicinis contentiones exortas esse. Matthæus quem paulo ante laudavimus, prodit anno DCLXIII Pictos, Scotos & Britannos diverso à Romanis die Pascha celebrasse; cessisse tamen Scotos, persuasos, quod ab ipsomet Apostolo Petro alter ille Romanus mos mandatus sit. Quod tamen de omnibus Scotis haud crediderim, utpote quum Petrus Cluniacensis etiam sua ætate isthoc nomine in literis ad S. Bernardum Scotos perstringat.

Beda l. de sex ætatib. & Histor. Anglicæ l. 2. c. 19. l. 3. c. 25.

Quamvis autem Christianus orbis reliquus satis diligenter studuerit Nicænorum patrum decreto obsequi, non tamen potuit non sensim ab illo multum discedere. In caussa fuit quod cum concilij illius tempore Æquinoctium vernum in vicesimam primam Martij inciderit, statutumque fuerit ut illa quæ proximum ab æquinoctio plenilunium subsequitur dominica Paschati sit sacra: persuasum ex Astronomicarum rerum imperitia omnibus passim fuerit, eandem perpetuo æquinoctii illius fore sedem, adeoque plenilunium vicesimam primam Martij subsequens esse illud quod æquinoctio proximum est. Quod adeo est à vero remotum, ut hodie æquinoctium illud sit inter decimum & undecimum Martij diem, & non possit non sensim magis magisque retrocedere, manente hacce Iuliani anni qua utimur forma. Illi malo aliquantum progresso jam remedium circa annum IↃXXVI adhibuit quidem Romæ Dionysius Abbas;

verum

verum non nisi ad paucos annos duraturum. Exinde altum per omnem Occidentalem Ecclesiam (quemadmodum fortassis & per Orientalem) ut de morbo isthoc, ita & de morbi remedio videtur silentium fuisse, donec Innocentius IIX Papa Calendarij emendationem, Ioanni Regiomontano Franco, rerum cœlestium illis annis peritissimo & sine exemplo, ex Germania Romam accito, demandavit. Quæ tamen res caruit successu usque ad superioris seculi annum octuagesimum primum: quo tempore nova Calendarij ratio per Gregorium XIII Papam est promulgata. Quæsita sunt & à Græcis alijsque in Oriente Christianis populis remedia mali, sed alia atque alia. Quo effectum, ut hodie in Christiano orbe, longe major quam olim circa Paschalem diem sit differens observatio, alicubi etiamnum in turbas erumpens non in Europa tantum, sed remotis etiam orbis partibus: quemadmodum ante paucos annos Hierosolymis Armenos & Græcos acri contentione certasse, negotio ad ipsos Turcas delato, literis ex Ægypto perscriptis narratum est.

I. Holling. epistola ad H. Grotiũ

Quamtumvis autem hodie qui Gregorianam anni reformationem sequuntur, quam proxime fortassis ad Nicænam constitutionem accedant, neque negari possit, egere emendatore illud quo nos utimur Iulianum calendarium vetus, non est tamen quur ea cura, saltim Paschalis festivitatis ergo, nos multum mordeat. Quam parum enim referat quo die Pascha celebremus Christiani, jam tum demostravimus. Et vero quî crimen sit, si Christiani hic forte erremus, quum olim non potuerit caveri, ne Iudæi interdum non suo die ab ipso numine præscripto Pascha celebrarent, quæ tum fuit noviluniorum & pleniluniorum in Iudaico populo ignorantia? nec tamen

Vide Chr. Gers. Confutation. Thalmud. Iudaici l. 1. c. 3.

unquam

unquam hoc nomine objurgatum cœlitus populum illum acceperimus? Quamobrem nihil etiam caussæ est, quur ad Nicænas leges emendati Calendarij ergo magnas gratias debeat Papæ Christiana Ecclesia. Certe tum potius veram ille laudem observatorū priscæ Ecclesiæ canonum fuisset meritus, si arrogantiam curiæ suæ intra limites ab illo Nicæno concilio significatos coëgisset. A quo tantum abest, ut ipsammet illam Calendarij emendationem instrumentum voluerit esse sui in Ecclesiam universam dominatus. Iacobi Augusti Thuani verba sunt: *Gregorius XIII. ad Calendarij emendationem conficiendam eo majore cura incubuit, quod vereretur, ne idem in Germania Cæsares molirentur, idq; ut juris Imperialis negotium susciperent.* *Vide Gregorii XIII. bullam. Hist. l. 76.*

Ast longum esset universa recensere, quæ circa hanc rem contigerunt. Neque vero attinet omnia isthæc adferre. Vel enim ex hisce quæ attulimus, CIVES ACADEMICI, abunde vobis constat, à primis usque Ecclesiæ incunabulis sanctissimo semper cultu Resurrectionis dominicæ memoriam, non tantum septimo quoque die, sed etiam anniversario aliquo festo quod Paschati Iudaico veteri respondeat, per omnem terrarum orbem, utut non uno die, Christianos prosequutos. Et vero illi fini à me cuncta sunt allata, ut vos etiam exemplo omnium Christianorum veterum, ipsorumque adeo Apostolorum & Martyrum, ad similem pietatem in crastinum excitem. Imitabimini autem illos, si perpetuo animis vestris obversetur illud Apostoli: *Pascha nostrum pro nobis immolatum est Christus. Itaq; festum agitemus non fermento vetere, nec fermento malitiæ & nequitiæ, sed azymis sinceritatis & veritatis.* V. P. P. in Acad. Iulia V. Aprilis. cIↃ IↃcXLV. *1. Cor. 5.*

PROGRAMMA V.

IN FESTO MICHAELIS ARCHANGELI

P. P.



Agnam olim, per omnem terrarum orbem, à prima usque rerum origine, dæmonum fuiſſe vim ac poteſtatem, cum alia multa nos docent, tum præcipue illa religio quæ paſſim quondam fuit recepta, & divinationes, & magicæ artes, non minus late diffuſæ nec tempore inferiores. Neque enim iſthæc alio quam dæmonum magiſterio potuere inſtitui: certe non potuerunt, per tam longum temporis intervallum ſine horum auxilio foveri atque integra defendi. Cave enim credas, ad id ut εἴδωλον manu fictum, ut brutum pecus, ut ſtirpem aut lapidem, ut homines vivos aut demortuos religioſe colerent, meris ſacrificulorum commentis aut præſtigijs, homines cætera non rudes aut faciles falli inductos eſſe. Mendacia & malas artes nebulonum acceſſiſſe non dubito quidem: at præter hæc potentiore unco ad religionem animi in neglectum pietatis proni fuere trahendi.

Multo magis opus fuit plauſibilibus argumentis, uti perſuaderetur cultus illarum rerum, quæ aut longe infra, aut certe non ſupra humanam ſunt conditionem: præſertim quum cultus ipſemet multis modis, ſacrificiorum præcipue impenſis ac ſævitia, fuerit cultoribus pergravis ac permoleſtus. *In ſimulacris* (ne qua putes nihil in illis fuiſſe mirandum præter artificum operam) *præſto ſunt*

atq. habitant dij suis; dicebat Arnobius. *Impuri spiritus sub* *Arn. l. 6.* *statuis & imaginibus consecratis delitescunt*, ait Minutius Felix *Octavio*. Eadem sunt verba Cypriani *l. de Idolor. vanitate*. Consecratione fieri ut dij habitent imagines, vulgo creditum esse, docet Arnobius l. 6. Idem l. 1. *Si quando conspexeram lubricosum lapidem, & ex olivæ unguine ordinatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar & beneficia poscebam.* Augustinus. *l. 8. c. 24. de C. D: Immundi spiritus simulachris arte nefaria colligati.* Idem asseritur in Dialogo illo Trismegisti cum Asclepio, olim λόγυ τελέιυ nomine claro. Imo integro libro id adstruere laboravit quondam Iamblichus, quemadmodum ex Photio liquet. Quin imo non *Phot. cod.* abit hinc illa quæ hodieque superest magica de sigillis do- *215. p. 285.* ctrina: quam merito dixeris non surculum sed ipsam adeo radicem veteris εἰδωλολατρείας. Porro quid promptius potuit, brutis cumprimis animalibus, opinionem aliquam divinitatis conciliare, quam sub ijs speciebus apparens aut in illorum corporibus latens dæmon? Perfrequenter autem solet ejusmodi imaginibus sese ostendere. Quapropter ipsis quoque gentilibus olim dæmonum alij ὀφιόμορφοι, τραγόμορφοι, ταυρόμορφοι, ὀρνιθόμορφοι, πᾶσι ζώοις ὁμοιούμενοι &c. nuncupati, Hecate πολυφάσματος & ταυρῶπις dicta est: de quibus alijsq; formis multus est Iamblichus *opere de mysteriis AEgyptiorum*, longe plurima in magicis chartis memorantur. Intra animalia vero occultari nonnunquam dæmones divinationū gratia, adeo, ut hac plane de causa, quibus quam maxime dæmones abutuntur, illa lex Mosaica immunda pronunciaverit, optime observatū est *Orig. l. 4* Origeni. A Spiritibus impuris extorū fibras animari, aviū *contra* volatus gubernari scribit Minut. Felix *in Octavio* & Cypria- *Celsum.* nus ijsdem pene verbis *l. de idol. vanit.* Ipsum Ægyptiorum

 populum

Diod. l. 1. c. 86. & 87. populum suianimaliũ cultus eam retulisse caussam, quod in eorum formam sese dæmones transmutaverint, Siculus Diodorus testis est. Et vero inter varias rationes quas recenset hæc maxime omnium est verosimilis. Non pauca & levia de dæmonibus per aquas arbores & animalia locutis, habet etiam Cyrillus *tertio contra Iulianum libro*. Cyrill. l. 3. pag. 87. ed. Parisiens. Imo ipsiusmet Porphyrij verba hujus sententiæ recitat Eusebius quarto προπαρασκευῆς volumine, ex libro de oraculis dudum deperdito. Cui præterea temere, homines aliquos dijs genitos aut à morte deorum ordini insertos esse (quorum alterutrum de adoratis hominibus fuit creditum) persuaderi potuit, absque dæmonum præstigijs? Et sane incubos succubosque dæmones olim utrique sexui perfrequenter illusisse, (unde facilimum fuit creditu homines aliquos divinitus natos) omnis gentium theologia nos docet. Enimvero haud equidem ausim omnia Poëtis cantata figmentis ac fabulis accensere: certum est quippe, pleraq; isthæc ex sacris aut publicis aut arcanis esse desumpta, adeoque veri fidem meruisse: quod apud paulo prudentiores quidem fieri non solet, nisi ex re ipsa speciē aliquam fabula mutuetur. Quidni vero quondam contigerit, quod ne nunc quidem facere desinunt impuri genij? Certe omnem hanc quam dixi religionem usque adeo est verisimile, quam maxime dæmonibus ferendam esse acceptam, ut merito dixeris astrorum etiam elementorumque cultum non alios magistros docuisse, quum præsertim etiam hisce sacris impuros genios interfuisse ex historijs sit perspicuum. Diod. l. 1. Diodor. Siculus differens de dijs Ægyptiorum naturalibus, addit: *Quinque deos terram ajunt lustrare, hominibusque modo sacrarum animantium figura, modo hominum vultu, modo alia quadam*

dam specie tectos sese videndos interdum præbere. Scilicet in universum & citra exceptionem verum est illud: *Omnes dij gentium dæmonia*, &, *quæ immolant gentes, dæmoniis immolant.* *Ipse Saturnus, & Serapis & Iuppiter, & quicquid dæmonum colitur, victi dolore quod sunt eloquuntur. Ipsis testibus esse eos dæmonas de se verum confitentibus credite*: ait quondam Minutius Felix. *Psal. 95.5. 1.Cor.x.10.*

Iam vero (ut Magica etiam attingam) illud quoque verissimum est, quod scribit Plinius: *Magiam plurimum in toto terrarum orbe plurimisq́; seculis valuisse, autoritatem ei fuisse maximam, in oriente regum regibus imperasse.* In ipsamet media sane Græcia, heroum temporibus, summo fuisse in honore vetat nos dubitare, ne de Orpheo dicam, Homerus, cujus *totum de Vlyssis erroribus opus non aliunde constat.* Quamvis autem Magia vano fastu in ipsos dæmones deosque suos imperium sibi arrogare soleat, tanquam ea sit vis artis, ut illi etiam inviti imperata facere cogantur, nihil tamen absque geniorum istorum auxilio potest: non parum autem profecto olim potuit, etsi nunc fastigio suo depulsa impotentior sit, atque in angustijs ac tenebris hæreat. *Minut. in Octavio* *Plin. l.30. c. 1.* *Plin. ibid.* *Vide veterum Ægyptiorum minas in deos apud Porphyrium ep. ad Anabonem citante Euseb. l. v. præp. c. 11.*

Quid? quod constans sit veterum traditio, geniorum ope artes multas ad homines pervenisse? Nec enim in solis paganorum scriptis (præter alios scilicet, de Oanne id Babylonij, de Hermete Ægyptij docuerunt) id reperias, sed & in ijs libri Henocho adscripti reliquijs, quas ex Georgij Syncelli chronicis edidit Iosephus Scaliger. Verum hoc fortassis ad solos malos dæmones non adeo pertinet. Henochus tamen ille donatas artes refert acceptas angelis τοῖς ἐγρηγόροις, qui creduntur filiorum Dei nomine *Genes.* vi, 1. usurpari. *Scal. in notis ad Euseb. Græc. chronicon.*

Vtut vero hoc quidem sit: magnam olim fuisse dæmonum potentiam, cumque hominibus familiaritatem, vel ex hisce à nobis adductis abunde manifestum est. Cum vero res ita sese habeat, miratu profecto dignum est, non defuisse quondam, & quidem ipsos philosophos inter, qui non tantum in dubium vocaverint, sintne dæmones necne, sed etiam illos non esse, docuerint. Videas tamen solius Græciæ nonnullos in hanc sententiam adductos, quos Romanorum quidam post sunt secuti: namque aliarum gentium sapientes in dæmonum cultu & sacris magicis fuere occupatissimi. Ne illud quidem caret admiratione, quod à tam paucis fuerit deprehensum, saltem quod in γοητείᾳ pravi dæmones Magis famulentur: cum tamen opera omnia illorum aut ludicra sint, aut perversa adeo, ut bene moratæ civitates gravibus supplicijs in magica ista animadverterint. Nam deprehensum fuit quidem id Ægypti Sacerdotibus, ut & Porphyrio ac Iamblicho, magnis illis dæmonum antistibus; apud Minutium & Hosthanes magus agnoscit *dæmonas terrenos, vagos, humanitatis inimicos*: an item alijs observatum sit, haut temere dixerim. Multo magis vero mirere, passim terrarum adoratos malos genios, quos ejusmodi esse, non ignorabant cultores, sed ultro profitebantur. Ita sane suum Arimanium coluerunt veteres Persæ, quorum impia theologia videtur hodieque à Bramanibus Indorum teneri: ita Vejoves Latini: ita Græci Cacodæmones: utque brevibus me absolvam, ita ipsi majores nostri atros deos suos venerati sunt. Non difficile vero fuisset tum cognitu, omnia prorsus sacra non alijs numinibus impendi; si animum advertissent saltem ad ipsum colendi modum, qui dijs magistris

Vide Cic. de divinit. l. 1.

Vide Asclepium Hermetis. Porphyr. 2. de abst. ab esu animator. Idem l. de philosophia ex oraculis ap. Theod. serm. III. Græcar. pass. magica omnia & id genus alia à malis dæmonib. effici confitetur. Adde Iambl. l. de myster. Ægypt.

ſtris ubivis terrrarum in uſum tranſierat. Quis enim bonus Deus admittat humanas victimas? qui mos tamen toto orbe invaluit, nec è medio ſublatus eſt deorum qui colebantur juſſu, ſed prudentiorum hominum. Quis vel inter nos honeſtior ferat illas nudorum hominum in templis curſitationes, illos ululatus Corybantum, illos ludos, illas ſaltationes, illa convitia, illas commeſſationes, illos ityphallos, illos concubitus, & quod reliquum fuit ſimilis ſpurcitiæ? Catonem ſane multis illorum puduit intereſſe. Quî tulerit deus aliquis bonus in imaginibus ſeſe adorari, & quidem non hominum duntaxat ſed & brutorum, imo rerum anima carentium? Quî tulerit ſeſe invocari in feris animantibus vivis? Non ſolum autem hæc tulere dij gentium, ſed & imperaverunt. Qua de re ne dubitemus, facit Porphyrius ſcribens, Deos ipſos ſignificaſſe quibus rebus gaudeant, quibuſque poſſint allici ab hominibus, ad hæc quibus cogantur, quæque adeo ſibi offerenda ſint, qui dies vitandi, figuræ quoque ipſæ ſimulacrorum quales eſſe debeant; characteres & figuras non parum ab ijs diligi, ſibi Porphyrio de Proſerpinæ oraculo eſſe perceptum. Diſerte idem teſtatus eſt: Hecaten deam quemadmodum ſimulacra ſibi ſint conſtituenda præcepiſſe: illa nempe abſynthio circumdanda, appingendos domeſticos mures, hæc pulcerrima & animo ſuo gratiſſima eſſe ornamenta. Mitto reliqua ab illo viro memorata, quo nemo alius ſtudioſior fuit in rimandis arcanis dæmonum myſterijs, cumprimis in colligendis illorum oraculis, nova inde theologia infelici labore conſtructa.

De ἀνθρωποθυσίᾳ Druidum per Romanos abolita Strabo l. 4. p. 213. ed. Baſ. Vide & Porphyr. l. 2. de abſtin. & Grot. de Satisfact. c. x. Multa exempla habet Cyrill. l. 4. c. Iul. pag. 128. ſed fere ex Porphyrio deſcripta. Porph. l. de reſponſ. ap. Euſeb. l. 5. præp. c. 11. 12. 13. & 14. Idem c. 15. Vide c. 12.

Haut me latet nonnullis in ſacris poſtulatam à cultoribus caſtitatem & juſtitiam. Verum id ipſum quo- que à

Epidauri templi fori-

que à malis genijs profectum esse, tantum ut sibi bonitatis aliquam opinionem conciliarent, argumento est, quod ijdem illi obsecrati injuriam intulerint, illicitos concubitus adjuverint, turpes libidines moverint. Quæ cum itidem Porphyrius Aneboni objecisset, atque negare non posset conscius horum Iamblichus, fassus est, à malis dæmonibus hæc in speciem fingi quo boni dij videantur minus rerum gnaris; esse enim pravos Spiritus divinitatem affectantes, eorum præsidem sese maximum deum venditare, cum omnes sint superbia & nequitia turgidi. Qualia jam ante alibi & Porphyrio magistro ejus erant notata. Taceo quam turpiter sese gesserint ipsimet illi in summatibus habiti gentium dij, vel certe quam turpia de sese credi voluerint: receptis in ipsa mysteria cum fabulis tum veris narrationibus longe fœdissimis & à recta ratione abhorrentibus. Prætereibo & illud, omni isthac religione, ipsaque adeo θεουργία, quam appellant, nullam esse ad virtutem & veram animi felicitatem viam munitam; quod post omnium ejusmodi sacrorum experimenta fateri coactus est Porphyrius.

In tam densis autem tenebris, inque tantis erroribus, propemodum omne humanum genus tam multis seculis hæsisse, miratu, ut diximus, est quam maxime dignum. Verum dubio procul omne id à genijs malis est profectum, quibus ad decipiendos homines & voluntas in promptu est & facultas maxima. Cui enim alij imputes, quod tanto in numero nullus populus expedire sese gravi isthoc superstitionis onere quiverit, illi vero qui errores cœpere agnoscere (quorum numerus oppido rarus) mox in æque grave crimen negatæ providentiæ divinæ, aut, quod cum priore reapse est idem, ἀθεότητος incidérint?

Huius præscriptum versum habet Porphyr. περὶ ἀποχ. pag. 155.

Porph. ep. ad Aneb. apud Eusеb. l. 5. præparat. c. 7. & 10. & apud Cyrill. l. 4. contra Iulian. pag. 124. edit. Paris.

Iambl. l. de myster. Ægypt.

Porph. l. 2. de abstin.

Porphyr. apud Augustin. de civ. Dei c. 11. 23. & 32. vide & epist. eius ad Anebon. sub finē, & quæ respondit Iamblich.

rint? Et vero obſervare eſt, ſuperſtitioſos inter abundaſſe oracula, Spirituum φάσματα, ſomnia fatidica, opera magica, quæ ſunt δαιμονολατρείας fomenta: quibus ſubolere cœpit abſurditas atque impietas recepti cultus, apud hos confeſtim illa ſuccendicula ita è medio ſubducta eſſe, ut omnia omnino divina in fabularum ſuſpicionem venerint. De Græciæ populis res manifeſta eſt, ſi quæ tempora Philoſophos anteceſſerunt quæve ſecuta ſunt ſpectes. De Romanis pene idem dixeris. Vereor ne ſimile quid & nunc contingat. Alibi ſane miraculorum plena omnia, alibi vix quidquam deprehendas: quo fit, ut alibi ferme nihil, alibi omnia credantur, pari in impietatem pronitate.

De divinationis pretio decreſcente apud Græcos vide Strabon. l. 17.

Ea vero & olim fuit & quoque nunc ex parte eſt vis dæmonum, quod à probitate deſciſcentes homines mereantur ejuſmodi præſtigijs illudi; arcana juſtiſſimi numinis pœna, prævalente mendacio ubi veritas habetur inſuper. Ipſam met ſane ἀθεΐαν pœnæ ſpeciem eſſe agnovit Salluſtius Philoſophus, homo gentilis. Conſequitur autem & minus rectum Dei cultum nihil non peſſimorum ſcelerum; ita etiam quaſi vitio vitium puniente numine, quod æquiſſimum vindictæ genus eſt. Enimvero nobis & virtus eſt amplexanda, quo rectus de religione & pietate ſenſus conſtet: & vero Dei cultui ſtudendum, quo criminum puri maneamus; pietate in Deum ac virtute arctiſſimo nexu cohærentibus. Exulat hodie pene univerſo terrarum orbe vetus dæmonolatria. Magia impotens adeo eſt, ut omnes præſtigiæ, omnia dæmonum φάσματα ad Ieſu invocationem plena fide munitam, illico evaneſcant. Iam tum olim Porphyrius opere contra Chriſtianos, (teſte *Euſeb. l. 5. præp. c. 1.*) ſcripſit:

Salluſt. l. de diis & mundo c. 18.

ex quo Iesus coli cœptus est communem ac publicam deorum opem nemo sensit. Religiosi apud nos animi symbolum, crucis forma, jam aliquot seculis impuros genios abegit. Dudum est cum dixit Lactantius, id quod hodieque verissimum esse deprehendimus: *cum diis suis immolant, si adsit forte aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant, nec responsa potest consultus reddere vates.* Nisi Iesu renuncient & omnium creatori Deo, non admittuntur qui inter nos hodieque superant magi in fœda sua cum dæmonibus commercia: magno & veri pro religione nostra pugnantis, & illorum detestandæ nequitiæ argumento.

Lact. l. 4. Instit. c. 7.

Cum ille autem sit Servatoris nostri de diabolo partæ victoriæ illustris splendor, non tamen vel sic post gloriosum Christi in cœlos ascensum nullum amplius superest periculum, non dicam errorum gravissimorum, sed etiam novæ & quidem late invalescentis εἰδωλολατρείας. Diserte siquidem Apostolus Paulus prædixit, venturum ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ θεός; Venturum vero κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδοις: hinc subsecuturam apostasian, id est à Christo ejusque Evangelio ingentem aliquam defectionem. Sanctus quoque Iohannes prophetice vidit è mari ascendentem bestiam, quæ, accepto draconis throno ab omnibus terræ incolis sit adorata; ejus imaginem vi alicujus spiritus locutam, usque adeo grassante errore ut lege publica sint occisi, quotquot vel imaginem illam adorare detrectavere. Quomodocunque sane hæc sint intelligenda, vel huic malo cavendo causæ plurimum est, ne securi divagemur, aut novis doctrinis vitijsque indulgeamus. Namque eodem Paulo magistro scimus, fore ut seducantur, qui amorem salutaris veritatis non recepere, placentes sibi in iniqui-

S. Paul. 2. Thess. c. 2.

S. Iohan. apocalyps. c. 13.

Iniquitate: ex S. Iohanne intelligimus ab illis tantum adoratam esse bestiam, *quorum non sunt scripta nomina in libro agni mactati.* Nec vero ab hac solum parte metuere nobis habemus; undequaque nobis imminet Satanas, rugientis instar leonis vestigans quem devoret. Statim post illius cum Michaele certamen in cœlis audita vox est: *Væ incolis terræ & maris, nam descendit diabolus ad vos plenus vehementis iræ.* Apoc. 12. Pugnæ illius ratio nos quidem latet; Cæterum *non esse nobis luctam adversus sanguinem & carnem, sed adversus Principatus, adversus Potestates, adversus κοσμοκράτορας tenebrarum hujus seculi, adversus Spirituales improbitates, quæ sunt in cœlestibus,* sat perspicue nos Apostoli docuerunt. Ad Ephes. cap. 6 Quin ergo & ex eorundem consilio *induamus universam armaturam Dei, ut possimus stare adversus artes diaboli.* Vt nos hic arma illa enumeremus, nulla est necessitas, cum id abunde factum sit ab illis ipsismet Apostolis. Et vero in promptu est Dei verbum, quod non patitur nos ignorare hac in re quidquam. Certe illi indicta auxilia circumspicere non est opus, si non est nefas: ad illi vetita certe decurrere, jam manifestum delictum est.

Sunt tamen ejusmodi (eheu!) non pauca in ipsam Christi Ecclesiam ita invecta, ut à longa consuetudine jam tum propemodum justi auctoritatem acceperint. In ipso festo crastino quanta recepto more regnat passim superstitio! Enimvero non alio nomine appellanda est illa angelorum invocatio huic maxime diei apud quammultos propria. Nec enim vel ullo verbulo instituit illam jussere qui à Deo nobis sunt præfecti officiorum magistri: quo vel solo liquet ab humano cerebro omne id effictum esse. Est autem vere impium commentum. Vtut enim angelos invoces tantum, uti pro te apud Deum in-

tercedant, etiam eo ipso tamen significas ipsorum arbitrij esse, hoc agere vel intermittere, adeoque illos cœlestium beneficiorum ex parte aliqua dominos, te supplicem illorum servum videris profiteri. Quare ne hoc quidem melioribus Ecclesiæ seculis admissum est. Neq; vero hujus rei in illius ævi monumentis exstat memoria. Adhuc tertio seculo scripsit diserte Origenes l. v. contra Celsum: *quamvis Angeli dona Dei nobis adferant, omnia tamen vota, omnes interpellationes, omnes deprecationes & gratiarum actiones ad Deum rerum omnium dominum, per majorem omnibus Angelis summum Pontificem, vivum Verbum & Deum destinandæ sunt.* Sed ut venia non vacet fortasse quod huic rei inest culpæ: (neque enim hoc perinde est impium) ita alia est ratio si intendas vim supplicationum. Solent autem vulgo ab angelis longe his majora exigi. In solemnes preces receptum est: *Michael Archangele veni in adjutorium populi Dei.* Angelum custodem ita invocari jussit Paulus Quintus:

Vide Brev. Rom. in fest. Mich. & Angeli custodis.

Huc custos igitur pervigil advola,
Avertens patria de tibi credita,
Tam morbos animi quam requiescere
Quicquid non sinit incolas.

Item: *Angeli custodes nostri defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.* Agnoscimus & nos custodiam angelorum: agnoscimus Michaelem venisse quondam in adjutorium populi Dei. Scimus vero pariter *omnes angelos esse administratorios Spiritus, in ministerium missos propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Quei supplices serviamus ijs qui in ministerium nostræ salutis missi sunt? Quomodo illos veneremur tanquam cœlestium donorum liberos datores ac dominos, qui circa

Ep. ad Hebr. 1. 14.

hæc

hæc omnia tantum famulitio funguntur? *Dominum Deum tuum timebis & illi soli servies*: divina lex jubet. *Quid adorationem inter eum qui vere Deus est & angelos partimur?* quod à Christianis procul esse dixit olim Theodoretus. Non tulit angelus S. Iohannem procumbendo se honorantem. *Vide* inquit, *ne feceris, conservus tuus sum & fratrum tuorum prophetarum, & eorum, qui servant verba libri hujus: Deum adora.* Quei illi ferant supplices preces Ecclesiæ, qui exhiberi sibi vetant illum regibus alias haut insuetum cultum? Ex modestia quadam hæc dicta ab angelo, non vero quasi illa reverentia sibi non deberetur, prætendere, ecquid aliud est quam simulationis notam illi impingere? Aut vere σύνδουλος noster est angelus, aut non. Si est, abstinendum utique à cultu adorationis; neque enim fas est ut conservi submissionis domino debitæ signis sese mutuo prosequantur. Sin vero, qua fronte id dixit angelus? Optime Cyrillus Alexandrinorum ille magnus Episcopus de bonis angelis: οὗτοι διδάσκουσι τὰς τιμὰς, καὶ τὴν προσκύνησιν, οὐχ᾽ ἑαυτοῖς, μᾶλλον ἀνακομίζειν μόνῳ τῷ ἐπὶ πάντας θεῷ. *Hi cultus docent & adorationem non sibi, sed soli qui supra omnes est Deo deferre.* Item: διδάσκουσι δὲ ὅτι πρέπει ἂν αὐτοὺς οὐχὶ τοῖς ὑπὸ ζυγὰ καὶ τεταγμένοις ἐν λειτουργικοῖς, κυρίῳ δὲ μᾶλλον ἀνατιθέναι τὰ ἱερά. *Docent autem par non esse illos* (homines scil.) *subditis & inter ministros adscriptis sed Domino potius honores reddere.* Quid? quod permagna sit Ecclesiæ & membrorum ejus dignitas, posteaquam proprio nos sanguine mercatus est Deus. Infra angelos igitur sese abijcere, (ut olim synagogæ addictis licuerit) nunc tamen amplius Ecclesiæ civibus haut convenit. Ταπεινοφροσύνη illa in vitio nunc est, & per Apostolum diserte vetita. Vt taceam porro, quam sit incertum, utrum

Deut. 6. & 30.

Theodor. serm. 3. Græc. aff sect. p. 52 edit. Commelin.

Ap. 22. 9.

l. 4. contra Iulianum. p. 123. edit. Parisiens.

Colos. 2, 18.

angeli invocati preces nostras audiant; quid opus, amabo, est per illorum suffragia ad Deum ire, ad quem licet recta accedere? *Nam ideo ad regem per tribunos* (utor verbis S. Ambrosij, sive quis alius sit antiquus scriptor Commentarij id nominis in Epistolas Paulinas) *aut comites itur, quia homo utique est rex, & nescit quibus debeat rempublicam credere. Ad Deum autem, quem utique nihil latet, omnium merita novit, promerendum, suffragatore non opus est, sed mente devota.* Nulla est etiam necessitas, ut seorsim hoc modo honoremus angelos: quippe, *in Dei honore satis comprehenditur honos illi ministrantium*; ut recte dicebat olim Origenes. *Possumus dicere* (verba etiam Arnobij faciam mea) *ad cultum divinitatis obeundum satis est nobis Deus primus: Deus, inquam, primus, pater rerum ac Dominus, constitutor moderatorque cunctorum. In hoc omne quod colendum est colimus; quod adorari convenit, adoramus; quod obsequium venerationis poscit, venerationibus promeremur. Cum enim divinitatis ipsius teneamus caput, à quo ipsa divinitas divinorum omnium, quæcunque sunt, ducitur, supervacuum putamus personas ire per singulas.* In nomine Iesu adorari vult Pater. In id nomen preces se exauditurum promisit. Quid angelorum suffragia adijcere itaque opus est?

Ad c. 1. ep. ad Rom.

Orig. l. 5. contra Celsum.

Arn. l. 4. contra Nat.

Dixeris forte, ipsum Michaëlem archangelum ædem sibi struxisse in monte Gargano Apuliæ, ubi coleretur. At cui est ignotum illud: *etiamsi angelus de cœlis?* Non utemur justissima hac responsione. Quis prudens vero crediderit, quod ex omni illo ævo, quo id factum creditur, testem nullum habet, cum tamen deesse non possent plures, demum autem pene trecentis annis post vix in literas est relatum? Vix inquam: valde scilicet jejunum

Brev. Rom. in fest. apparit. Michaëlis.

num est illud Anastasij Bibliothecarij: *Hujus* (Gelasij) *temporibus inventa est Ecclesia sancti angeli in monte Gargano*: testimonium. Et vero nono demum seculo videtur in memoriam illius fabulæ festus aliquis dies institutus, obscura ante aut nulla potius mentione ejus facta. Fabula igitur est cum Lauretanis commentis explodenda. Esto vero; acciderit ejusmodi quid. Audacter assero: Si adorari, si coli, si invocari se voluit Spiritus ille, apparuit Michaelis specie mentita malus dæmon; permittente Deo illudi pronos in superstitionem animos. Pie non minus atque eleganter Augustinus in Confessionibus: *Quem invenirem, qui me reconciliaret tibi? an eundum mihi fuit ad angelos? qua prece? quibus sacramentis? Multi conantes ad te redire, neque per seipsos valentes, sicut audio, tentaverunt hæc; & inciderunt in desiderium curiosarum visionum, & digni habiti sunt illusionibus. Diabolus enim erat transfigurans se in angelum lucis.* Ipsi illi nostri ἀγγελοθρησκείας magistri fatentur ultro, eos qui se adorandos proponunt angelos, non bonos sed malæ notæ esse, bonos enim hunc honorem vehementer aversari. Solere vero nonnunquam dæmones sanctorum Spirituum formam assumere usque adeo est notum, ut non tantum Apostolus id monuerit & Christianis auctoribus varijs sit observatum, verum Iamblicho etiam & Porphyrio fuerit scriptum, imo Arnobio teste *magi haruspicum fratres suis in actionibus memorent antitheos sæpe obrepere pro veris, esse autem hos quosdam materiis ex crassioribus Spiritus, qui Deos se fingunt.*

Id cumprimis observatu est dignum, illas ex Gargano fabulas Sipontinas, & quæ paria hisce sunt alia, indubie fidem nullam invenire potuisse primis Ecclesiæ seculis.

S.Au-

Anastas. in Gelasio.

l. 10. c. 42.

Perer. l. 1. de Mag. c. 5. Becan. theolog. sch. p. 1. t. 3. c. 4. q. 2.

Arn. l. 4. Vide exemplum a-libi tum apud Sulpit. Sever. in vita Martini c. 25.

Aug. l. 1. contra Max. Item lib. de Vera religione sub finem.

S. Augustinus adhuc dixit: *nonne si templum alicui sancto angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi & ab Ecclesia Dei? quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum debetur Deo.* Ita qui sensit, num verosimile est crediturum illum, sanctorum angelorum principem sibi ipsi templum construxisse? Invocationis sane angelorum in Ecclesia illa puriore usitatæ nulla vel umbra superest. Omnes omnino idololatriam impugnantes in eo vim ponunt disputationis, quod soli Deo adoratio conveniat. Quarto seculo fateor alicubi invocatos angelos, non in aliud tamen forte, quam ut patrocinio precum juvent. Cum in Phrygiam eodem Christianæ æræ seculo, nonnihil nostro consimilis, (fuisse enim jam tum ibi Michaeli Archangelo oratoria dedicata testatur Theodoretus locupletissimus auctor, quem frustra sugillat hoc nomine Baronius) angelorum quidam cultus clanculum irrepsisset, Synodus Laodicena illius provinciæ censuit, id qui facerent *derelinquere Dominum nostrum Iesum Christum, & se idololatriæ tradere;* hinc ijsdem anathema dixit, rem ipsam *occultæ idololatriæ* titulo notavit. Canon Synodi illius tricesimus quintus usq; adeo splendore suo ussit oculos nostrorum angelolatrarum, ut quidam non dubitaverint angeli vocem in anguli mala fide commutare. Hæreticis inde annumerati sunt Angelici *in angelorum cultum inclinati*, ut loquitur Augustinus. Tantum abest, illa quidem meliore tempestate angelorum invocationes solemni ritu in Ecclesia obtinuisse.

Theod. ad cap. 2. Colossens. Baron. Ann. t. 1. anno 66. sect. 20.

Aug. l. de hæresib.

Quin igitur procul absit, ut preces nostras ad angelos mittamus. Ita sane festum crastinum celebrare nefas

nefas est. Deo uni agemus gratias pro concessa nobis angelorum custodia. Illum unum supplice prece obsecrabimus, velit porro angelis suis curam nostri demandare. Voluemus animo quanta sit gloria & potestas ejus, cui millies mille ministrant, & stant ad nutum myriades myriadum. Meditabimur apud nos, in gloria illa Patris, & comitante angelorum innumero illo numero, accessurum ad mundi judicium Servatorem nostrum Iesum Christum. Vt adueniat regnum illud, ardenter orabimus. Hic Deo, hic Michaëli archangelo, hic Cherubim & Seraphim, hic in universum angelis omnibus sanctus erit & acceptus cultus. *Benedictio & gloria, & gratiarum actio, & honor, & virtus & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen.* P.P. in Acad. Iulia IV. Kal. Octobr. Anno cIɔ Iɔ c XLV. Apocal. 7. 12.

PROGRAMMA VI.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI NOSTRI P. P.

MAgnum sese nobis nunc festum offert, CIVES ACADEMICI, & fores quasi sanctioris arcani aperiuntur. *Verbum caro factum est*, & hominibus nobis cohabitat. Deus nunc homo, creator creatura, immensus exiguus, sine principio cum principio, omnia possidens egenus, omnia administrans fit servorum subjectus potestati. Quis hæc capiat? quis enarret? Stupet ingenium, horret animus, nec sibi credit sermo humanus dicens Sermonem divinum esse factum hominem. Non ludimus tamen, nec fallimus quenquam, CIVES, nihilque de nostro addimus aut quidquam præter rem extollimus. Iesum nasci, jacere in cunis, vagire, de matris uberibus pendere rudis etiam oculus vidit & observavit. Eundem *in principio jam fuisse: fuisse in principio apud Deum: fuisse jam tum Deum: per illum omnia esse facta: nihilq; quod factum est, sine illo factum esse: hunc esse illum omnibus seculis benedictum Deum: hunc esse illum qui erat est & venturus est: hunc esse cujus thronus est in seculum seculi, qui initio terram fundavit, cujus manuum opera cœli sunt:* hunc esse illum cujus majestatem cernens olim Esaias cantantes in ejus laudem Seraphim audivit *Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus angelorum*; disertis illi verbis testati sunt qui neque fallere neque falli potuerunt. Hoc à Iudæis negari, aut asseclis spurci istius Muhammedis ridicu-

lum

lum videri, nemo miretur. Neque enim digni illi sunt apud quos tam illustris habitet veritas, utpote qui suis vitijs quod supererat etiam bonæ mentis projecerint. Et tamen ne primi quidem ex Iudæis adversarij nostri, quæ de Verbo nos credimus non aperte confessi sunt. Non fuit noster Philo Alexandrinus, non Onkelos, non Ionathas, non Paraphrastarum Chaldaicorum quisquam. Attamen Philo agnoscit Verbum quod *Dei est nomen*, quod *mundi est opifex*, quod *neque ingenitum est, ut Deus pater omnium, neque ita genitum ut sunt homines*, quod denique *omnia gubernat atque administrat*. Hi vero plane ipsis nostris vocabulis Verbum illud, *unigenitum* appellant *Dei in cœlis*. Cabalistæ itidem antiquiores in tria Deum lumina distinguunt; & ijsdem quidem nobiscum nominibus, *Patris, Verbi seu Filij, ac Spiritus Sancti*. Atqui nos haud aliud Verbum in terris natum docemus, quam quod Iudæi illi prisci in Deo sese adorare profitebantur. Magnus enim Evangelista id Verbum dixit quod ea voce vulgo intelligebatur. Iam vero Musulmanni æternam illam cœlestemque divinitatem Christi nostri aperte Apostolicis prodi monumentis, ne diffiteri quidem audent; tantum exemplaribus nos corruptis uti prætendunt; quod à vero esse alienissimum, ipse inter illos maximus Avicenna ingenue fatetur. Adeo nimirum hoc certum est ex Sacris nostris codicibus, ut sine impietatis labe nemo id, qui quidem Christianus optat audire, queat in dubium revocare.

Vide Calixtum in Historia Iosephi ad cap. 49. pag. 80.

Vide addit. ad lexicon Schindleri, & Grot. ad l. v. de Verit. R. C.

Avic. l. de mahad.

Non defuere tamen olim, neque desunt etiamnum, qui licet tam pio affectent nomine dici, ut suis inanibus ratiocinationibus satisfaciant, multa hic movent. Non loquemur nunc de Photino ejusque veteribus no-

visque asseclis, utpote qui nimium remote aberrant: quanta portio Christianorum & quamdiu Arij placitis adhæsit! At vos, ô boni, non patiemini fucum fieri tam apertis, claris, disertis sacrarum literarum pronunciatis. Quid clarius est, quam per Verbum omnia esse facta, secula ipsa esse condita, Verbum esse Deum & in principio mundi jam fuisse apud Deum? Qui talis est, num ille non sit extra ordinem eorum quæ facta sunt? Non patiemini porro vos abduci ab illa fide, quam unanimi semper consensu Ecclesia, ipsamet Christi sponsa, tradidit, quam tot sanctorũ millium sanguis testatus est, quam tot edita cœlitus miracula confirmavere. Vt enim gentium consensus vox naturæ, ita consensus Ecclesiæ vox Christi est. Samsoni ænigmatum involucra amoris delinimento sponsa extorquebat: quî huic amicæ cujus amore languet celaverit naturam suam benignissimus Servator? Cum multa vero hodieque superent melioris ante Arium ævi scripta, nullum tamen pene est quod non diserte agnoscat generationem ex Patre, quæ non fiat καθ' ἀποτομὴν ὥσπερ ἀπομεριζομένης τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας: certe Christi atque creaturarum discrimen nihil eorum non diserte profitetur, utut verbis alijs atque alijs utantur, deque momento divinæ illius generationis non perinde idem videantur dicere. Apud unum Origenem nonnihil interdum sequius reperias, sed quod forrassis à falsaria est Arianorum manu. Non est vero dubium communem semper fuisse Ecclesiæ Christianæ vocem, quam tot calami sanctorum Martyrum & Confessorum, in Europa, Asia, Africa, ab innocentissima usque Ecclesiæ origine expresserunt. Sane etiam citra testimonium Nicænorum Patrum hoc argumento licet novitatis convincere Arianum commentum.

Tat. orat. ad Græc.

Cum

Cum Arius autem heic aliquid moviſſet, quam unanimi totius orbis conſenſu illico in Nicæno Concilio damnatus ille eſt! Quis dixerit trecentos octodecim ex omni orbe, non multo poſt graviſſimas perſecutiones, lectos Epiſcopos, inque his plurimos confeſſores, nonnullos & miraculis claros, cum innumeris diaconis, in unam ſententiam conſpiraſſe, niſi quam domo attulerant? Neque vero eſt quod putes, cum illorũ Patrum Nicæno conventu cœpiſſe demum extra ſortem creaturarum collocari paſſim ſublimiorem illam Chriſti noſtri naturam, ſicut ex illius inſtituto cœpit frequentari τὸ ὁμοούσιον. Nam ne vox quidem illa tum primum in hoc negotium eſt introducta, ſed jam olim à ſanctiſſimis ſcriptoribus uſurpata, teſte ipſomet Euſebio Cæſarienſi, res vero ipſa fides fuit ab initio uſque per Eccleſiam recepta. Bene ſane Auguſtinus: *Adverſus impietatem Arianorum hæreticorum novum nomen Patres homouſion condiderunt, ſed non rem novam tali nomine ſignaverunt: hoc enim vocatur* ὁμοούσιον, *quod eſt, Ego & Pater unum ſumus.* Neque vero Eccleſia voculæ hujus uſum uſque adeo exegit, modo res ipſa ſalva ſit. Ecquis enim negaverit recte ſentire etiam illum, cui vel religio eſt vocem ἄγεαφον in tam ſancto atque arduo negotio uſurpare, vel ſignificatio ejus (licet immerito) ſuſpecta eſt, dummodo vere divinam tribuat naturam Chriſto & quæ non ſit creata ex nihilo? Ejus ſane generis etiam ſtatim poſt habitum Nicænum Concilium fuiſſe nonnullos pios atque catholicos, abunde Eccleſiaſtica hiſtoria teſtatur: quos tamen Arianiſmi inſimulatos haut negamus.

Vide Euſeb. l. 3. de Conſtant. Socrat. l. 1. c. 5. Theodor. hiſt. l. 1. c. 8. & 12. Aug. tr. 97. in Ioa.

Vide de Occidentalib. Epiſcopis quæ narrat Ruffin. l. 1. hiſt. Eccleſ. c. 21. Socratem l. 2. c. 18.

Quomodo vero cunque hæc ſeſe habuerint, rem ſi videas, fidem noſtram univerſus Chriſtianus orbis, integris tribus ſeculis, jam ante Nicænos perſonavit. Ipſi

 gentiles

gentiles ejus quod tum fuit creditum dant teſtimonium. Plinius ad Trajanum Cæſarem h. e. ipſo pene Apoſtolorum ævo compertum ſibi teſtatur, Chriſtianos *ſolitos ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto QVASI DEO ſecum dicere invicem.* Primi itaque illi Chriſtiani Chriſtum verum eſſe Deum confeſſi ſunt, & quidem eundem illum cum creatore cœli & terræ: omnibus enim conſtat, non factitium aliquem Deum vel plures uno coluiſſe Chriſtianos. Poſt Plinij ætatem *in Philopatride* dialogo, non Luciani quidem, eodem tamen ingenio gentilis ſcriptoris, Triephon jurat Chriſtiano more: *Deum alte regnantem, magnum, immortalem, cæleſtem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria;* addens, *hæc tu Iovem puta, hunc exiſtima DEVM.* Eſt autem hæc plane noſtra de S. Sancta Trinitate fides; quam etiam olim communem fuiſſe Chriſtianorum, vel hiſce gentilium teſtimonijs auditis quis negaverit?

Plin. l. x. epiſt. 97.

Cæterum, ô boni, etiam ex eo eluceat profeſſionis noſtræ veritas, quod inaudito hactenus modo adverſus crudelitatem Arianorum fecerit Deus optimus maximus præciſis linguis fidem noſtram prædicari. Id qui viderit & audiverit, non unum licet teſtem laudare. Habet illud Æneas Gazæus dialogo quem *Theophraſtum* inſcripſit: habet Victor Vticenſis: habet Marcellinus Comes: habet Iuſtinianus Imperator: omnes unius rei teſtes αὐτήκοοι καὶ αὐτόπται. Factum hoc negare tanto in teſtium numero, & quidem eorum qui non dubitant ad commune tum ſpectaculum provocare, ecquis niſi impudens audeat, quis Deo id non adſcribere, niſi impius?

Vict. l. 3. de Perſec. Vandal. Marcell. in Chron. Iuſtinian l. 1. Cod. de Off. Præf. Prætor. Afr.

Quid? quod hanc ipſam fidem noſtram fruſtra Diabolus, fruſtra hæretici impugnaverint, omnem hære-

ſcos

seos noctem tollente veritatis claro sole. Multis enim seculis in orco delituit impium Arij dogma, extinguente omnem illam flammam eo *qui increpat abyssum & eam exsiccat; qui dicit abysso Fias deserta, & fluvios tuos exsiccabo. Verum est enim quod à nostro Servatore dictum est, omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis eradicabitur. Divina autem Evangeliorum dogmata pullularunt, & ad mare usque extensi sunt Apostolorum palmites, & propagines terrarum orbem impleverunt, & repleta est universa terra cognitione Domini:* ut liceat nobis uti verbis Theodoreti. Quomodo sane salva fuerit Servatoris illa promissio, qua sese præsto semper fore usque ad finem seculi Ecclesiæ suæ est pollicitus, si multis adeo seculis passus fuerit ab omni orbis universi Ecclesia sese pro uno illo summo Deo injuste adorari? Creaturam profecto pro creatore colere suppar idololatriæ impietas est. Si Arij, si Photini sententiæ veræ sunt, ab initio usque omnis Ecclesia non minus atque gentilitas gravissima illa labe inquinata fuit. Defuit scilicet Spiritus S. qui perduceret Christianos in omnem veritatem, & incassum effusus est martyrum sanguis: frustra ab omnibus Christianis in cœlos preces sunt missæ: imo frustra pro hoc mundo mortuus Christus: nemine videlicet non etiam baptizatorum in pristino impietatis cœno hærente. Absit vero, ô optimi, absit ut ejusmodi vera sint. Vera non esse ipsemet Socinus agnovit, prætendens citra salutis jacturam pro vero Deo qui non sit haberi tamen posse: quod est idem, ac si tu dicas fas esse adorare alienos ac falsos deos, quo nihil absurdius est. *Socinus l. de Eccles. l. quod regn. Polon.*

Quin itaque maneamus omnes in illa fide, quam Apostoli prædicaverunt, Ecclesia fideliter conservatam

propa-

propagavit, sancti martyres sua morte obsignarunt. Credamus inquam, in principio creati mundi jam extitisse Verbum, & Verbum illud fuisse apud Deum, imo Verbum illud fuisse Deum ipsum, omnia per Verbum illud facta esse, & sine illo Verbo factum esse nihil quod est factum, adeoque ipsum Verbum nequaquam esse factum. Credamus vero & illud: Verbum istud factum esse carnem, Deumque redditum conspicuum in carne. Credamus ajo, Deum esse hominem factum, adeoque Iesum Christum nostrum non minus hominem nunc esse quam ab æterno fuit Deus. Mirum quidem hoc est: quidni vero etiam hoc credamus, quum pari atque prius illud constet certitudine? Adversus hunc solem cave ne animi tui nebulas spargas. Quum mens nostra ad alia quævis natura notissima caliget tanquam in meridie noctua, cum aliarum rerum veritas in puteo quasi demersa delitescat, quæ superbia fuerit, ingenij nostri viribus rei, qua nulla est magis ardua, notitiam polliceri? *Deum nemo vidit unquam: Vnigenitus ille filius qui in sinu est Patris, ille enarravit.* Hic magister unice nobis audiendus: ejus dicto ratiunculis obstrepere elata impietas est. Christum verum esse Deum ex Patre ante omnia secula genitum, & pariter verum hominem ex Maria Virgine natum, in regula semper fuit catholicæ fidei, *nullas apud nos habente quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt.* Neque vero vel ignorare hæc licet, vel dubitando aut negando subvertere citra salutis dispendium. Qui enim in Iesum Christum credideris, quomodo illum rite adoraveris, quomodo eum vere Christum dixeris, nisi & Deum & hominem esse profiteare? *Atqui non est in alio quoquam salus, nec aliud nomen est sub cœlo quod datum sit inter homines*

Ioan. c. 1.

Tertull. l. de præscr.

Act. 4. 12.

homines per quod oporteat nos servari quam nomen Iesu. *Qui non credit in nomen unigeniti filij Dei jam condemnatus est.* *Ioan. 3. 18.* *Qui non crediderit* Evangelio, quod omni creaturæ prædicari jussit Servator, *condemnabitur.* Hæc autem nostra de *Marci 16.* Christo fides, saltim pars utiq; illius Evangelij est. Certe, absque omni notitia Christi, simplices, imo laicos quos appellant omnes, salvari posse, nulla prorsus ætate ad Hildebrandinam usque tempestatem à Christianorum quopiam fortassis vel est auditum. Vt ex eo fuerit auditum interfuit sacræ tum demum enatæ tyrannidis, præsidium sibi ex populi ignorantia quærentis. Aliud profecto nos in sacris monumentis legimus, aliud perpetua sanctissimæ Ecclesiæ consensio tradit. Novum scilicet est evangelium: ad salutem æternam satis esse, si profitearis te id credere quod credit Ecclesia, etsi corum quæ illa credit tu scias nihil. Hujus neque in Apostolicis neque in Ecclesiasticis scriptis apparet vestigium: & tamen viam ad æternitatem alicunde non licet petere.

Sarta itaque tecta maneat regula fidei caholicæ: nemo illam ignoret, nemo in dubium vocet. *Cæterum* *Tertull. l. de præscr. l. c.* *manente forma ejus in suo ordine, quantum libet quæras & tractes, & omnem libidinem curiositatis effundas.* Revera tamen & novissime, quod præter est simplicem illam fidem ab Apostolis semel traditam, *ignorare melius est, ne quod debeas non noris, quia quod non debeas nosti. Fides, inquit* Servator, *tua te salvum fecit; non exercitatio scripturarum,* multo minus sublimium mentis ratiocinationum. *Fides in regula,* h. e. symbolo catholico, quale est quod Apostolicum nuncupamus, *posita est, habens legem, & salutem ex observatione legis: exercitatio autem in curiositate consistit, habens*

gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas Fidei, cedat gloria saluti. Certe non obstrepant; at quiescant adversus Regulam. Nihil ultra scire, omnia scire est. Omnia certe im-
Hilar. l. 10. de Trinit. mortalitati comparandæ necessaria. Enimvero *in simplicitate fides est, in* illa simplice *fide justitia est, in* simplicis fidei *confessione pietas est. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat,* nec sublimium rerum curiosa indagine *sollicitat. In absoluto nobis ac facili est æternitas.* Iesum esse verum Deum & Dei filium, verum item hominem obumbrante Spiritu S. conceptum, natum ex Maria virgine, ut non eximia facundia, ita nec acuta quadam dissertatione Apostoli tradiderunt. Vltra hæc simplicia, hujus quidem negotij, nihil tradiderunt. Tradiderunt
Act. 19. tamen *omne Dei consilium* de salvando homine: tradide-
Galat. 1. runt *potentiam Dei ad salutem omni credenti.* Igitur *si quis nobis evangelizaverit præter id quod accepimus anathema sit.*
Tertull. l. de præscr. *Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, non desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod ultra cre-*
August. enchir. ad Laurent. cap. 8. *dere debeamus.* Et vero *quid opus est ut quædam affirmentur vel negentur vel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur?* Vtique sane quod ignorare licet illud ad salutem impetrandam non juvat. Licet autem ignorare cuivis quod cuipiam licet. Vnica enim in cœlum via est: nec per alia sapientes per alia rudes salvantur. Di-
Iud. c. 1. serta vox est Apostoli: *Semel tradita est fides.* Quod *semel* traditum, utique augmentum non admittit, ut non tole-
Vinc. Lirin. c. 32. rat decrementum. *Christi etiam ecclesia sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos nihil in iis unquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat necessaria, non apponit super-*

superflua. Valeant quotquot augendæ fidei arbitrium sibi arrogant. Quæ aut curiositas invenit, aut hæreticorum elicuit protervia (ceu fieri assolet, *ut in vitium vitio coarctemur alieno*) præter simplex illud quod fidei regula habet de Christi vera divinitate atque humanitate, impetrent suam peritiæ laudem quam commerentur: tamen saluti non es propior si illa teneas, nec remotior si non teneas.

Igitur quod nostri est officij agamus, ô optimi; simplici animo & puro pectore excipiamus illum nunc propter nos natum puerum, ab æterno ex Patre genitum Deum. Procumbamus & offeramus illi cum sanctissimis illis Magis, aurum misericordiæ, thura precum, myrrham fidei incorruptæ. Id si omnes rite egerimus, simul gloria habebitur in excelsis Deo, & in terra pax erit, & hominibus nobis Deus favebit. V. P. P. in Acad. Iulia ipso Sanctæ Nativitatis festo. cIↃ IↃc XLV.

PROGRAMMA VII.

IN FESTO NATIVITATIS IESV CHRISTI

P P.



CVm multis alijs nominibus felicia sunt Novi fœderis tempora præ antegressis, tum longe exactiore divinarum rerum notitia. Etsi enim ne nunc quidem plenam omnibus numeris perfectamque simus eam consequuti; sed talem adhuc exspectemus:
1. Corinth. XXIII, 9. 10. donum cœlestis vitæ proprium. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: ubi autem venerit* τὸ τέλειον, perfectissimum scilicet illud seculum, *tunc illud ex parte abolebitur. Cernimus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Nec vero ea vulgi tantum hodie est condi-
2. Corinth. XII, 4. tio sed & ipsorummet olim fuit Apostolorum, & quidem ejus etiam qui raptus in tertium cœlum audivit ibi ἄῤῥητα ῥήματα. Etiam ille enim seorsim de sese aperte scripsit: *nunc cognosco ex parte, tunc vero cognoscam quemadmodum & cognitus sum.* Longo tamen intervallo etiam hæc ἐν μέρει major est, hodie & illustrior sapientia per Evangelium orbi patefacta, quam fuit illa prisca Imo perinde hanc illa superat quam superatur ipsa à gloria exquisitæ illius perfectitudinis.

Hac de re ne dubitemus, si alia rerum testimonia deessent, vetarent utique sola diserta aliquot in eam sententiam verba, cum ipsiusmet Salvatoris tum ejus Apostolo-
Matth. XIII, 11. rum. Ita dispensationem Evangelicæ doctrinæ μυστήριον appellavit τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν Christus ipse; non utique sic appel-

appellaturus si passim fuisset nota. Imo non tantum de re- *Marc.* IV,
gni cœlorum sive Messiæ (quod perinde est) administrati 11.
one plane alia vulgo Iudæis fuisse persuasa, notum est vel *Luc.* IIX.
ex Evangelica historia; sed & omnino hoc regnum docen- 10.
do per Messiam hisce in terris administratum iri, nun-
quam antehac perinde fuisse cognitum, Christus ipsemet
aperte indicavit quando, verba de mysterijs illis faciens,
addidit illa ad discipulos: *vestri vero beati sunt oculi* (mentis *Matt.* XIII
scil.) *quia vident, & aures vestræ* (itidem mentis, nam de 16. 17.
hisce loquitur) *quia audiunt. Amen enim dico vobis quod
multi Prophetæ & justi desideraverint videre quæ videtis &
non viderunt: & audire quæ auditis & non audierunt.* Per
multos enim omnes intelligi argumento est, quod Mat-
thæus verbis Asaph μυστήρια illa simpliciter dixerit κεκρυμ- *Matt.*
μένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. Similiter vero Apostolis etiam *ibid* 35.
frequens est, Evangelicam de salvando homine doctri-
nam augusto μυστηρίων θεοῦ titulo nuncupare. Imo perin-
de ut Matthæum Evangelistam loquentem audivimus,
ita & S. Paulus doctrinam illam in universum omnem
appellat in epistola quidem ad Romanos ἀποκάλυψιν μυ- *Rom.* XVI.
στηρίου χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου: in epistola ad Colossenses 26.
μυστήριον ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων, καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν, νυνὶ δὲ *Coloss.* I, 26
(ait) ἐφανερώθη τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ: ad Ephesios μυστήριον τοῦ θελή- *Eph.* I, 9. 10.
ματος θεοῦ κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ εἰς οἰκονομίαν
τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν: item μυστήριον ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ *Eph.* III, 9.
τῶν αἰώνων ἐν τῷ θεῷ: ad Corinthios σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ τὴν *Corinth.* II
ἀποκεκρυμμένην, ἣν προώρισεν ὁ θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων εἰς δόξαν 7. 9. 10.
ἡμῶν, accommodans illa sive ex apocryphis sive ex Esaia
deprompta, *Quæ oculus non vidit, & auris non audivit,
& in cor hominis non ascenderunt, præparavit Deus diligenti-
bus sese*, & mox addens ἡμῖν δὲ ὁ θεὸς ἀπεκάλυψε διὰ τοῦ πνεύ-

2. Timoth. 1, 9. 10. ματος αὐτοῦ. Idem ſanctiſſimus Apoſtolus ad Timotheum gratiam qua ſalvamur ſcribit *datam quidem nobis ante tempora æterna*, φανερωθεῖσαν δὲ νῦν διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *qui mortem quidem abolevit, vitam autem in lucem pro-*
Tit. 1, 2. 3. *duxit ac immortalitatē per Evangelium*. ad Titum quoq; *ſpem vitæ æternæ promiſiſſe* quidem *Deum* πρὸ χρόνων αἰωνίων obſcurius ſcilicet, *pateféciſſe autem temporibus ſuis per prædicationem quæ ſibi ſit commiſſa*, h.e. per evangelium. Conſimili modo
Petr. 1, 20. & S. Petrus *Chriſtum* ait προεγνωσμένον μὲν πρὸ καταβολῆς κόσμου, φανερωθέντα δὲ ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων. Quid? (quod maxime miremur, quodq; (ceu audivimus Apoſtolum) maxime facit εἰς δόξαν ἡμῶν, h. e. ad humani generis exiſtimationem) non homines tantum natos omnes, ſed etiam ipſos Angelos atque archangelos latuiſſe quæ nobis jam revela-
1. Petr. 1, 12. Eph. III, 10. ta ſunt, diſerte ijdem Apoſtoli prodiderint. Petrus ſane ſcripſit, in ipſa illa deſiderare angelos παρακύψαι: Paulus vero, *per Eccleſiam notam fieri nunc principatibus ac poteſtatibus in cæleſtibus plurimum variam ſapientiam Dei*.

Hæc igitur quum ita ſeſe habeant, utiq; ſole eſt clarius quantum diſtet vetus & nova ſacrarū rerum intelligentia, Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ quid interſit. Scilicet de *ſalute animarum ſcrutati quidem ſunt Prophetæ qui de ventura in nos gratia ſunt vaticinati*, & deſideraverunt illi videre atque audire quæ noſtris hodie oculis & auribus ſunt expoſita; tantæ tamen dotis qua nos præditi ſumus minime facti ſunt compotes, quoniam hanc felicitatem Chriſti temporibus unice ſervaſſet Deus. Vaticinati quidem ſunt Spiritu Dei acti Prophetæ, ſed illa involucris varijs
2. Corinth. III, 14. obtecta ſunt, τύποι τῶν μελλόντων: ſcripta tamen *ad noſtri admonitionem* εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντησεν. Et vero magis illa patent nobis quam Prophetis olim ipſis, velamine

veteris

veteris Teſtamenti tum adhuc ſuperſtite, *quod* nonniſi per
Chriſtum aboletur. Nempe *Deus, qui dixit de tenebris lucem* 2. Corinth.
ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem no- IV. 6.
titiæ gloriæ Dei in facie Ieſu Chriſti. Sane Propheticum ſer-
monem (ceu librum tantiſper clauſum donec eventu
explicatur) conſtat non eſſe *ἰδίας ἐπιλύσεως*: verum ut Spi- 2. Petri I.
ritus S. impulſu illa prolata ſunt, ita multo magis ab eodem 19.20.21.
Spiritu unice expectanda eſt & interpretatio. *Ceu lucerna*
itaq; duntaxat eſt ſermo ille, & quidem lucerna *apparens in*
obſcuro loco, donec dies illuceſcat & lucifer exoriatur in cordibus Rom. XIII.
noſtris. Progreſſa autem *jam nox eſt & appropinquavit dies*, eo- 12.
que non eſt mirum ſplendere jam nobis illum luciferum,
illum ex alto Orientem.

Cæterum obſcura adeo & *μυστηριώδη* quondam fuiſſe, omnia de ſalutis humanæ negotio per Meſſiam curando, præter tot teſtimonia, omnino re quaſi ipſa docente, ſolo Apoſtolorum exemplo luce clarius pateſcit. Erant enim utique illi, ſi qui alij, homines pietate eximij, verſati in lectione Scripturarum, & tamen etiam cum aliquamdiu jam audiviſſent docentem ipſum Chriſtum, quantillum noverant de regno ejus cœleſti, de futura ejus paſſione, reſurrectione, adeoque omni ſalutis *οἰκονομίᾳ*? Aliorum in populo Iudaico peritiam meliorem fuiſſe cui temere probabitur?

Sed quorſum hæc? Ego vero, CIVES ACADEMICI, in hunc ſermonem quaſi pertractus ſum memoria ingentis arcani, cui hic ipſe dies pridem ab Eccleſia
eſt conſecratus. *Extra controverſiam* videlicet, uti ait 1. Timoth.
Apoſtolus, *magnum eſt τῆς εὐσεβείας μυστήριον: Deus manifeſta-* III, 16.
tus eſt in carne, juſtificatus eſt in Spiritu, viſus eſt angelis, prædicatus eſt gentibus, fides illi habita eſt in mundo, receptus eſt in gloria.

gloria. Quanti arcani patefactio vel illud unum est, θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί: aut, uti S. Ioannes exprimit hoc tonitru, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν! Adventurum videlicet Messiam sive σωτῆρα quendam ac regem humani generis, quin & ex posteritate Davidis nasciturum, jamdudum quidem Iudæis omnibus innotuerat. Eundem fore singulari quadam ratione etiam Dei filium, itidem jam videtur fuisse passim cognitum, ex Psalmo secundo, quem nec hodie desinunt Iudæorum optimi de Christo accipere. Nec enim aliunde dixeris orta illa ipsius principis sacerdotum: *adjuro te per Deum viventem, ut dicas nobis, an tu sis Christus*, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ζῶντος; quodque Nathanael & Petrus & Martha dum Iesum Messiam profiterentur hunc titulum mox addiderint. Præterea vero & *Verbum* aliquod esse *Deum*, ita tamen ut simul etiam illud *apud Deum sit*, adeoq; ita ut non exhauriat omne quod in Deo est; adhoc per Verbum illud omnia esse facta quæ facta sunt, non injuria dixeris saltim multis Iudæorum fuisse jam tum cognitum, atque hactenus eos profecisse ex Propheticis monumentis. Ecquis enim non id ipsum secure affirmaverit, si spectet quæ hodieque versantur in manibus cum Philonis tum Paraphrastarum Chaldaica scripta, in quibus hæc utique perspicue habentur? At vero carne indutum Verbum illud Messiam fore, nescio an cui ex vulgo tum venerit in mentem. Sane Chaldæus Pentateuchi Paraphrastes quem Ierosolymitanum appellant ad cap. XII. Exodi scribit: *Nox quarta erit cum finem suum completum adeptus erit mundus, ut laberetur: Funes iniquitatis vastabuntur & juga ferrea confringentur: Moses è medio deserti exibit, & rex Messias è medio Romæ, alter in nubis unius, alter in alterius culmine*

Vide tamē Tharg. ad Os. c. 7.

mine equitabit, & Verbum Domini inter utrumque, & simul ambulabunt. Auctor quæstion. ad Antioch: *Ausim dicere, ne ipsos quidem beatos Christi discipulos perfectam sententiam de ejus divinitate habuisse, antequam in eos Spiritus sanctus die Pentecostes illapsus esset.*

Quo vero cumque modo hac parte instructa fuerit synagoga vetus, (nec enim tanti refert accurate hoc novisse, certe ejus momenti non est, ut cum quoquam ea de re contendas in Ecclesiæ scandalum) omnino ingens est & summe admirabile illud: DEVS IN CARNE EST MANIFESTATVS. Grande sane arcanum (ô juvenes!) hic mens concipit, loquitur lingua: nec concipere tamen mens potest quod concipit, nec lingua eloqui quod loquitur. Omnia admirationis, omnia stuporis plena. Absit enim ut mysterij pondus, cũ Cerintho, Ebione, Theodoto, Paulo, Ario, alijs qua veteribus qua recentibus hæreticis contra clara S.S. codicum oracula, contra perpetuam sanctæ Ecclesiæ catholicæ doctrinam, elevemus. Verbum Patris, ex Patre ante omnem genitum creaturam, imo per quod omnia facta sunt quæ sunt facta, esse hominem natum & carnem factum, personarat dudum orbis ab Apostolis edoctus, confirmatus miraculis, sanctificatus operibus, antequam paucos hæreticos istos natura abortisset. Quid ni ergo & nos tot ab ipsis Apostolis diserte conscriptis, tot ab illis qui audierunt eos docentes proditis testimonijs habeamus fidem, & in homine Deum, in Deo hominem colamus, adoremus, veneremur? Scilicet creator nunc creatura, qui immensus fit exiguus, qui æternus & sine principio momentis temporum subijcitur: omnium dominus egenus: omnium rex servus nascitur. Hic est dies ille exspectatus Prophetis: desideratus omnibus,

ignoratus tamen, etiam ipsis Angelis: qui nunc eo majore lætitia perfusi, primi natales adeo insolitos celebrantes, annunciant nobis gaudium magnum. Nostrum nempe cumprimis est serio gaudere nunc, quoniam in terra pax redijt, atque homines nos reconciliati Deo nostro sumus, quem inolitis nostris vitijs alienum à nobis reddideramus imo infensum. Iam triumphũ canebat Diabolus, pertracto in rebellionis suæ partes humano genere; jam nihil non porro sibi pollicebatur eximij, quod passim ipsemet jam adoraretur ab hominibus qui cervices ejus debebant calcare. Nos vero miseri exuti bonis nostris, quasi sine præsidio, sine auxilio relicti, nec modum miseriæ nostræ nec finem noscebamus, segregum ovium instar luporum libidini expositi. Vbique sane luctus: pavor ubique. ubique mors: omnia fuerunt desperata. Tantis tamen malis una hora imposuit finem: unus infans recens natus rem omnem restituit. Redditus nobis pastor qui tueatur nos à lupo. genitus homo qui hominem origini suæ reducat. genitus cœlis homo, qui triumphantem in terris Diabolum conculcet. genitus Deus homo, qui hominem cum Deo vicissim uniat.

Nostrum igitur est, ô optimi, cunabulis animæ excipere infantem illum, & sanctissimis ulnis amplecti puerum tot bonorum auctorem. Quin præparemus itaque hospiti illi saltim non prorsus indignum domicilium. Offeramus Regi mundæ conscientiæ aurum: offeramus Domino precum tura; offeramus Deo submissi cultus myrrham. Ita ille frater, ille rex, ille Deus noster, faciet uti nos unum simus cum ipso, quemadmodum ille unum est cum Patre. Cui laus sit honor & gloria in æternum. P. P. in Academia Iulia, ipsis ferijs Theophan. Anno cIↃ IↃc L.

ADDEN-

alias) Iam tum olim autem usque adeo turpiter Papas exercuisse suum Indulgentiarium forum, ut res illa etiam tum scandalo pijs fuerit, passim terrarum multi conquesti sunt etiam dudum ante reformationis hæc tempora. Vtemur nunc tantum testimonio unius Crantzij, *viri admodum diligentis in scribendis historiis* teste ipsomet Bellarmino, ut saltim pateat quid in Saxonia centum amplius annis ante Lutheri caussam multi judicaverint. De Bonifacio IX. ille in Metropoli sua l. II. c. 10. scribit: *Interim summus pontifex Bonifacius gratias & indulgentias fecit inauditas: & quam facile dedit tam facile revocavit. Et à multis Apostolica sedes in contemptum venit, nonnullis ad neutralitatem* (laborabat sc. tum Romana Ecclesiæ horribili schismate) *inclinantibus, aliis etiam incipientibus justificare partem pontificum in Avenione, quod Vrbanus de crudelitate, Bonifacius de avaritia insigniter notarentur.* Idem jam c. 42. libri x. monuerat, anno demum post millesimum trecentesimum nonagesimo quinto natum esse morem *impetrandarum à Pontifice, quarum erat largus, pro ecclesia* (h. e. in usum obæratorum antistitum & sacrarum ædium) *indulgentiarum.* Vbi paulo ante dixerat: *Quo tempore cœperunt indulgentiæ Bremis impetratæ, durantes per annos continuos octo. Qui autem fuerit apparatus ostendendarum de suggestu reliquiarum, foris ad occiduas partes tabulato in forum spectante, quod hodie visitur, quanta solennitas in conventu, quantus mortalium concursus, incredibile est memoratu.* Non possum non addere, quæ idem Crantzius & de hac indulgentiarum & omni alia sacra Bonifacij illius mercatura narrat ejusdem libri cap. 45. *Interim*, inquit, *Bonifacius curiam suam inauditis gratiis magnificare contendit: cognationi suæ & ille plurimum permisit. Indulgentia*

Bellarm. l. de Scriptorib. Ecclesiastic.

dulgentiæ feruntur miris modis divenditæ, usque adeo ut bonos viros tæderet ejus largitatis: & sunt proinde multi permoti ad retrahendum illi obedientiam, ut se in neutralitatem collocarent. Episcopatus plurimi per Alemaniam istius pontificis temporibus vacaverunt, multisque Ecclesiis non meritæ personæ præferebantur. Mira tum visa est in dispensationibus largitas religiosis mendicantibus ad ecclesias, ad beneficia, ut essent monachi proprietarij: ut qui ex mendicantibus, ordine suo dimisso, centum aureos persolveret, ad ordinem quemlibet introiret. Mirum unde Papa voluit illum aliquid solvere, qui nihil habuit, aut saltem nihil habere debuit. In expeditione pro episcopatibus tum infinita cœpit exigi pecunia, ad quadraginta, quinquaginta, sexaginta, octoginta millia aureorum. Anticipator fuit iste nostrorum temporum: nec dum enim erant annatæ.

ASSER-

ASSERTIONES
De
PVRGATORIO
Oppositæ Disputationibus Calixtianæ & Crocianæ antehac de eadem materia editis

Et nunc Examini publico in celeberrimo Paulino Gymnasio Patrum S. I. proposita Monasterij Westphaliæ die VI. Maij

CIↃ IↃC XLVII.

A IOANNE BROCHBER Theol. Studioso

SUB PRAESIDIO

R. P. IOANNIS MVLMANNI
è Societ. Iesu S. S. Theol. Licentiati & Professoris Ordinarij.

ASSERTIONES CATHOLICÆ

De

PVRGATORIO

I.

INdubitatum apud Catholicos fidei dogma est, dari Purgatorium, quo nomine locum quendam intelligimus à cœlo & inferorum ergastulo distinctum, ubi animæ noxis levioribus inquinatæ, vel quæ nondum meritas in hac vita pœnas divino judicio dependerunt, flammis expiatorijs perpurgantur, antequam ad cœlum, quò nihil intrabit coinquinatum, a & claram Dei visionem admittantur.

a *Apoc. 21, 27.*

II.

Contrà sentiunt nostrorum temporum Novatores. Calvinus inprimis, cujus hæc sunt verba: *Clamandum non modò vocis, sed gutturis ac laterum contentione, purgatorium exitiale Satanæ esse commentum, quod Christi crucem evacuat.* b Lutherus homo varius & inconstans, etsi sub initium suæ ab Ecclesia Romana defectionis adhuc admitteret purgatorium, ut videre est in disputatione ejusdem Lipsiaca, quæ etiamnum extat; sic enim loquitur. *Ego qui credo firmiter, imò ausim dicere, scio purgatorium esse, facilè persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem*; posteà tamen, magis magisque sensim à Deo illuminatus (si superis placet) illud omnino rejecit. c Eodem in errore versati sunt quingentis circiter abhinc annis hæretici VValdenses, d alijque dicti Pseudo-Apostolici, haud multò VValdensibus antiquiores. e Primus tamen, qui facem illi omnibus præluxit, videtur fuisse Aërius, qui testibu

Epiph-

Epiphanio f & Augustino g docuit, non esse orandum pro mortuis. Hinc enim sequitur, aut eos non egere precibus, aut juvari non posse, quod utrumque doctrinæ de Purgatorio, saltem prout à Catholicis, astruitur, è diametro adversatur.

b *lib. 3. inst. c. 5. §. 6.* c *lib. de abrog. missa privata, & lib. ad VValdenses de Euchar.* d *Guido Carmel. in summa de hæreticis, & B. Anton. 4. parte tit. 11. c. 7. §. 2. Summa Theologia.* e *S. Bern. serm. 66. in cantica.* f *hær. 75.* g *hær. 53.*

III.

Horum secutus vestigia quidam Georgius Calixtus Professor Helmstadiensis, in dissertatione suâ, quam de eodem argumento conscripsit, gravissime Romanæ Ecclesiæ succenset, quòd ignem hunc purgatorium *credat non solùm*, ut ipse loquitur in inscriptione, sed *orbi* etiam *Christiano sub anathemate credendum obtrudat.* Enimverò doctrinam illam ait *à simplici Scripturarum sensu & à primitivæ Ecclesiæ sententiis magnopere abhorrere, novum & superstitiosum esse additamentum, quo Religio Christiana dolendum in modum pervertatur, ingentium denique corruptelarum & abusuum, qui paulatim in Latinam Ecclesiam irrepserunt, præcipuam causam ac fontem.* h Gravis profectò censura. Nec multò aliter Ioannes Crocius Calvini discipulus, & Professor Cassellanus in AntiBecano suo: i ambo enim ijsdem pænè utuntur argumentis, tum ut errorem suum stabiliant, tum ut fundamenta Catholicorum contraria ex Scripturis, antiquioris Ecclesiæ testimonijs, & ipsâ ratione petita labefactent, atque evertant. satisne solidè, ex ijs, quæ in decursu hujus disputationis strictim dicentur, lector iudicabit.

h *thesi 29. & 26* i *tom. 2. controv. 1.*

IV. Pri-

IV.

Primum ac præcipuum fundamentum ſumunt Catholici ex 2. Mach. 12. ubi laudatur factum Iudæ Machabæi, quod *factâ collatione duodecim millia drachmas argenti miſiſſet Hieroſolymam offerri ſacrificium pro peccatis mortuorum*, hoc inſuper adjecto epiphonemate: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*. Quæ verba tam clara ſunt & aperta, ut nullus Adverſarijs effugiendi eſſet locus, niſi illos Machabæorum libros prorſus negarent eſſe Canonicos. k Hoc nimirum in cauſa deſperata aſylum eſt unicum, ſed minùs tutum profectò, & cuivis cordato homini meritò ſuſpectum.

k *Calvin lib. 3. inſtit. c. 5. §. 8. Calixt th. 41.*

V.

Nam imprimis longè aliud ea de re fuit judicium Concilij Carthaginenſis III. quod ſub annum Christi 397. à quadraginta quatuor Epiſcopis, inter quos unus fuit ipſe S. Auguſtinus, celebratum, & à Synodo Generali Conſtantinopolitana poſtea confirmatū, eoſdem libros inter θεοπνεύςους, id eſt, divinitus inſpiratos annumerat. l Aliud, inquam, Innocentij I. Gelaſij in Synodo 70. Epiſcoporum, S. Cypriani, Clementis Alexandrini, Ambroſij, Chryſoſtomi, Proſperi, Iſidori, Leonis Papæ, aliorumq; plurium S.S. Patrum, quos citant Bellarminus m & Serarius, n imò totius Eccleſiæ antiquioris, ipſo S. Auguſtino teſte. Audiamus magnum hunc Doctorem: *Machabæorum*, inquit, *libros non Iudæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet*. o Quæ teſtimonia Calvinus & Calixtus aut admittant oportet, aut ſecum ipſi pugnent, neceſſe eſt. Rem ad oculum oſtendo. Fatetur Calvinus *extra controverſiam eſſe, nihil à princi-*

l *can. 47.* m *tom. 1. controv. lib. 1.* n *in lib. Mach. prælequio 3.*
o *lib. 18. de civit. c. 36.*

pio usq; ad ætatem (Augustini aliorumque veterum Doctorum) *mutatum fuisse in doctrina*, p atque adeò jure merito antiquos illos Patres, quod sæpè faciebant, successionem doctrinæ ab Apostolis acceptæ & continuâ serie in Ecclesiâ propagatæ, contra hæreticos urgere tunc potuisse. Nec alia Calixto mens, qui sæpius in scriptis suis profitetur, se antiquioris Ecclesiæ, quòd illa incorrupta adhuc esset, & Patrum, qui primis quingentis annis floruerunt, auctoritatem libenter admittere. Nunc contra utrumque sic argumentor. Vel Ecclesia, quæ S. Augustini fuit temporibus, puritatem doctrinæ ab Apostolis receptam retinuit, vel non retinuit: si non retinuit, nec Patres ex continua ejusdem successione & traditione, ut ajebat tamen Calvinus, Adversarios suos urgere poterant, nec Calixtus satis solido innititur argumento; si autem retinuit, ergo Calvinus & Calixtus suomet convicti testimonio aut cum Ecclesiâ antiquâ libros Machabæorum pro Canonicis debent agnoscere, aut fateri, non satis apta esse inter se & convenientia, quæ de ijsdem libris & Ecclesiæ primitivæ puritate ipsi tradiderunt.

p *lib. 4. instit. c. 2. §. 3.*

VI.

Vidit, opinor, Calvinus hujus argumenti vim, ideoque quod ex antiquitate pro canonicâ dictorum librorum auctoritate peti poterat testimonium, ut minùs feriat lectoris animum, callidè soli asscribit Augustino, sic enim loquitur: *Quod ex Machabæorum historia proferunt de Iuda Machabæo, responsione non dignabor, ne opus illud videar in sacrorum librorum catalogum referre, quanquam Augustinus pro Canonico referat.* q Pace tuâ, Calvine, hoc est lectori imponere, non solus Augustinus, sed Ecclesia,

 teste

teste Augustino, libros illos pro Canonicis habet. Porrò ut illud etiam videant Adversarij, quanti Ecclesiæ auctoritatem fecerit Sanctissimus ille Præsul, aliud adjungo testimonium, vel eò libentius, quòd ad rem præsentem sit. *In Machabæorum libris legimus,* inquit, *oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi nunquam omnino in scripturis veteribus legeretur, non parum tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* r Quam Augustini confessionem diligenter notent velim, qui nihil credendum aut faciendum existimant, nisi quod in scripto Dei verbo disertè & planè expressum fuerit.

q *loco supra cit.* r *lib. de curâ pro mort. c. 1.*

VII.

Sed ut ad propositum nostrum de Machabæorum libris rervertar, non ignoro, quid VVittackerus ejusdem Calvini assecla supra citatum ex Augustino locum argutetur, ut imperitis persuadeat aliud: ait enim libros illos *communi quâdam hujus nominis usurpatione* vocari Canonicos, *quia* scilicet *in Ecclesiâ leguntur, & in aliquo pretio habentur; quanquam non omnino in parem cum reliquis auctoritatem fidemq; sumantur.* Cujus suæ explicationis fundamentum eruere conatur ex antecedentibus Augustini verbis, quæ sic habent: *quorum supputatio temporum* (à restituto templo usque Aristobulum) *non in Scripturis Sanctis, quæ Canonicæ appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt & Machabæorum libri, quos non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* E qua verborum antithesi confici putat, in alio sensu latiori & minùs proprio Augustinum accipere Vocabulum *Canonici,* cùm illud Machabæorum libris tribuit.

buit. Verùm commentum illud jam pridem explosum esse ait Gretserus noster f ex ipso Augustino, qui ubicunque *Canonici* vel *Canonis* nomen usurpat, non aliâ usurpat notione, quàm eâ, quâ epist. 19. dixit *se solis illis Scripturarum libris, qui jam Canonici vocantur, eum habere honorem, ut omnem ab illis errorem & falsitatem abesse credat.* Et sanè si Ecclesia libros illos non aliam ob causam, quàm ut vult VVittakerus, pro Canonicis haberet, pari ratione dici posset, etiam scripta S. Augustini, aut S. Gregorij, & similium Patrum habere pro Canonicis, quia hæc etiam publicè legit, & in aliquo, & magno quidem habet pretio. Hoc autem nemo prudens dixerit. Porrò ut verba paulò antè citata ritè concilies, observandum est, *Scripturas Canonicas* primo loco vocari ab Augustino, quæ apud Iudæos etiam in canone erant. *Alias* verò, quæ sunt quidem in Sacro Ecclesiæ Canone, non tamen Iudæorum, ita ut aliarum istarum numero non solùm Machabæorum libros, sed ipsa etiam Evangelia, Apostolorum acta & Epistolas comprehendat. Sensus ergo verborum Augustini, ut clarissimè dicam, est iste: Supputatio temporum habetur in scripturâ non Canonicâ, sed apud Iudæos; & tamen canonicâ, sed apud Christianos. Et hanc illius mentem fuisse, apparet manifestè ex eo, quòd alibi dum librorum divinorum canonem accuratè pertexit, inter illos duo quoque Machabæorum volumina connumeret. t Quòd si roges, cur eadem in Iudæorum Canone posita non fuerint, in promptu causa est: quia Canon ille temporibus Esdræ in Synodo magnà compositus fuit, quando libri Machabæorum, Ecclesiasticus, & Sapientia nec scripti quidem adhuc erant aut excogitati, quid

f in defens. Bell. c. 17. lib. 1. t *lib. 2. de doctr. Christ. c. 8.*

mirum ergo, illos in Iudæorum Canonem referri non potuisse?

VIII.

Nec juvat Calixtum, quod pro se ex S. Hieronymi Prologo in proverbia allegat, quia antequam ab Ecclesiâ legitimè definitũ esset, qui libri pro Canonicis habendi, qui non, licuit de quibusdam dubitare, aut sentire aliter: hinc enim discrimen illud, quòd quidam vocentur Protocanonici, illi nimirum, de quorum auctoritate nulla unquam fuit controversia; alij Deuterocanonici, qui non statim ab initio, sed paulatim & cum tempore ad priores illos adnumerati sunt. Factâ autem postea & approbatâ legitimâ definitione (ab Innocentio I. & Concilio Romano sub Gelasio u) non magis de ijs dubitare nunc licet, quam liceat nunc dubitare, an circumcisio aliæque ceremoniæ Iudaicæ servandæ sint Christianis è gentilismo ad fidem conversis, an caput decimum sextum S. Marci sit canonicum, an Baptismus hæreticorum validus &c. De quibus tamen & multis alijs aliquando dubitatum fuisse, nemo nescit. Eâdem de causâ factum, ut quidam Autores ex antiquioribus, quos citat Crocius, x in Canone libros Machabæorum ne nominent quidem, quia scilicet eos solos recensere erat animus, de quibus tum nulla erat controversia aut dubitatio. Cætera, quæ contra eosdem Machabæorum libros obijciunt Calixtus & Crocius, y nullius sunt momenti, & videri possunt soluta apud Bellarminum, Gretserum, Serarium, Cottonum, z & alios.

u *Innoc. I. epist. 3. ad Exuperium, Gelas. in dicto concilio, Decreto de libris Canonicis.* x *in Anti-Becano controv. 8. de purg. sect. 1. n. 7.* y *Calixtus th. 41. Croc. tom. 1. contr. sect. 2.* z *Bell. tom. 1. lib. 1. c. 15. Gretſ. in defens. Bell. cap. 17. lib. 1. Serar. comment. in Machab. præloquio 3. & c. 8. bibliacorum Proleg. diffic. 4. Cott. instit. cathec. lib. 2. c. 24.*

IX. Sed

IX.

Sed demus etiam, libros illos ſacros & ſummæ auctoritatis non eſſe, illud tamen Adverſarij negare quî poterunt, tantam ſaltem eos mereri fidem, quantam Herodoti, Plutarchi, aut T. Livij monumentis tribuimus? Quo poſito illud minimùm pro comperto habemus, jam olim ante annos propè bis mille hanc opinionem Iudæorum animos pervaſiſſe, piè & ſalubriter pro mortuis preces fundi poſſe, ut proinde mirum ſit, quâ ratione Calixtus hanc Catholicorum de purgatorio doctrinam *dogma novum* appellare audeat.

X.

At dicet Calixtus, in Eccleſiâ novum eſt, eo fine orare pro mortuis, ut à pœnis pro peccato remiſſo adhuc debitis liberentur; *factum* autem *Iudæ Machabæi non ita accipi neceſſe eſt, ac ſi ſacrificium illud pro peccato ad liberandos à pœnis interfectos milites Hieroſolymis offerri voluerit, ſed pro Eccleſia Iudæorum reſiduâ, ne toti populo crimen aliquorum imputaretur.* a In eandem prorſus ſententiam reſpondet etiam Crocius, Iudam ſcilicet *non juſſiſſe offerri ſacrificium pro defunctis*, & immani confidentiâ ad textum provocat. Ait enim in Græco, qui textus originalis eſt, non legi oblatum ſacrificium pro peccato mortuorum, ſed περὶ ἁμαρτίας, hoc eſt, pro peccato abſolutè. Quidnî ergo, infert porrò, *intelligatur vivorum?* præſertim cùm & reliqui peccaverint in eo, *quòd non eâ ſeveritate, quantâ debuerunt, peccatum ſociorum vindicaverint. Nam cadavera & anathemata comburi debuiſſent, quod non factum.* Addit deinde, etſi intelligas de peccato mortuorum, adhuc ideo non ſequi ſacrificium oblatum eſſe pro mortuis, imò Iudam aut *imperitum* aut *impium* futurum fuiſſe, ſi id feciſſet: *Veriùs*

ergo ait *oblatum esse, ne peccatum illud superstiti populo imputaretur*: b *sicut sacrilegium Achanis imputatur toti populo.* Iof. 6:

a *th 41.* b *controv. 8. de purg. quaest. priore sect. 1. n. 7. & 8.*

XI.

Vide, amabo, quò tandem Purgatorij odium Novatores abripiat quicquàmne dici poteſt, quod ab hiſtoria illa, ſeu ſacram, ſeu profanam credas, magis alienum ſit, aut cum reliquo contextu minùs cohæreat? equidem lubentes damus, in Græco, v. 43. ſi verba ſpectes, plus non legi, quàm miſiſſe Iudam *pro peccato* offerri ſacrificium; an ideo de peccato vivorum poterit intelligi? Minimè verò. Res in aperto eſt. Nam 1. verſu. 40. & 42. dicitur *inventum ſub tunicis interfectorum de donariis Idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet, ideoq; Iudæos ad preces converſos rogaviſſe, ut id quod factum erat delictum, oblivioni traderetur.* & quodnam illud delictum? interfectorum, non aliud. 2. Ratio autoris, quæ immediatè ſequitur verſ. 44. idem manifeſtè evincit, *niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret; ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis.* An eos, qui ceciderant vivos dicet Crocius? non reor. imò ſi vivi, cur orationem pro mortuis excuſat autor? 3. Si pro vivo & ſupetſtite populo oblatum fuiſſet ſacrificium, ineptiſſima foret autoris illatio: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* verſ. 46. tantundem ac ſi diceret, *Ergo baculus in angulo.* Et ne cui dubium eſſet, quam orationem pro defunctis commendet, finem etiam orationis iſtius diſertè exprimit, *ut* (defuncti) *à peccatis ſolvantur*, non ut interfectorum peccatum vivo & ſuperſtiti populo ne imputaretur. Atque ita Calixti & poſterior

etiam

etiam Crocij interpretatio corruit. Neque tamen ob factum illud Iudas Machabæus aut impius fuit aut imperitus, sed temerarius potius Crocius, qui notam alterutram Viro in divinis oraculis tam laudato vult inurere.

XII.

Et quæso, cur impius fuisset Iudas Sacrificium pro mortuis offerens? quia *sciens volens*, inquit Crocius, *aliud fecisset, quàm quod lege permittebatur, neq; ullum pro mortuis institutum fuit sacrificium.* At neutrum probare nobis poterit. non prius illud, quia nusquam legitur à Deo fuisse prohibitum. non hoc posterius, quia inter Sacrificia à Deo in lege veteri instituta unum erat, *Hostia pro peccato*, quam existimamus non vivis solum, sed defunctis etiam prodesse potuisse. Neque ullo argumento è scripturis ostendet unquam Crocius, pro solis vivis illud offerri debuisse. Si dicat, sacrificium illud non legitur institutum pro mortuis, ergo nec offerre pro ijs licuit. Negabitur consequentia, perinde atque in isto Enthymemate: Nusquam in scripturis expresse legitur, Baptismus pro infantibus institutus, ergo infantes baptizare non licet. quam consequentiam etiam negare debent Adversarij.

XIII.

Nunc ad aliud fundamentum veniamus, quod ex novo Testamento petere solent Catholici 1. Cor. 3. 15. sic scribit Apostolus: *si quis autem super ædificat super fundamentum hoc* (Christum) *aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, unicujusq; opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne declarabitur, & uniuscujusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod super ædificavit, mercedem recipiet; si cujus opus arserit, detrimen-* tum

tum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Circa quem locum observes velim, Apostolum Corinthiorum Doctores, aliosque Evangelij præcones Architectis comparare, quorum aliqui supra fundamentum ab ipso positum, aurum, argentum, & lapides pretiosos, id est, opera sancta, ac præsertim doctrinam sanam, proficuam & sanctam absque inani eloquentiæ ostentatione, alióve vanitatis affectu superædificent; alij verò lignum, fœnum, stipulam, hoc est, doctrinam curiosam & inutilem, aut sanam quidem, sed pomposam ac phaleratam. Porrò in die Domini opus seu doctrinam utrorumque probatum & examinatum iri ait, eo tamen eventus discrimine, ut *cujus opus manserit*, hoc est, solidum repertum fuerit instar auri & argenti, mox accepturus sit mercedem, cujus verò *opus* propter vanitatem *arserit*, instar fœni aut stipulæ, is passurus sit detrimentum, & futurus salvus, *sic tamen quasi per ignem*; in Græco est, ζημιωθήσεται, id est, mulctabitur, pœnas dabit. At ubi demum? non in cœlo, quia ibi præmiandi locus est, non puniendi; non in inferno, quia inde nemo fiet salvus; ergo in loco aliquo tertio.

XIV.

Adversarij rursus hic captant effugia, quæ præcludere oportet. Calixtus Chemnitium suum secutus respondet inprimis c locum illum Pauli etiam S. Augustini testimonio d obscurum esse & difficilem, adeoque fidei dogma ex eo probari aut confirmari non posse, sed eidem probando adferri oportere *loca perspicua, evidentia, & quæ simpliciter audivisse sufficiat.* Verùm hæc talia non sunt, ut ijs continuò acquiescat animus. nam 1. nil territi illius loci difficultate antiqui Patres eundem de igne purgatorio

gatorio interpretati ſunt. Inter alios idemmet Auguſtinus qui ſic Deum alloquitur, *in hâc vitâ purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non ſit opus, propter illos, qui ſalvi erunt, ſic tamen quaſi per ignem.* e Et rurſus: *Illo enim tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem, non capitalia, ſed minuta peccata purgantur.* f Idem fecit Ambroſius: *Sed cùm,* inquit, *Paulus dicit, ſic tamen quaſi per ignem, oſtendit quidem illum ſalvum futurum, ſed pœnas ignis paſſurum, ut per ignem purgatus fiat ſalvus, & non ſicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur.* g Conſentit Hieronymus exponens illud Prophetæ Amos; *Facti eſtis ſicut torris raptus de incendio: juxta illud,* inquit, *quod in Apoſtolo legimus, ipſe autem ſalvus erit quaſi per ignem; qui ergo ſalvatur per ignem, quaſi torris de incendio rapitur.* h

c *th. 50.* d *lib. de fide & bonis operibus c. 15.* e *in Pſ. 37. ſtatim poſt initium.* f *ſerm. 41. de Sanctis.* g *in 1. Cor. 3. & ſerm. 10. in Pſ. 118.* h *in c. 4. Amos, & lib. 2. in Iovin. ultra medium.*

XV.

Deinde fruſtra eſt Calixtus, qui pro omnibus fidei articulis clara, perſpicua & evidentia ſcripturæ teſtimonia exigit. Ego enim quæro ex illo, num credat verum eſſe articulum illum, qui habetur in Symbolo Athanaſij: *Spiritus Sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens?* Reſpondebit utiq; affirmativè. eſt enim ea fides ad ſalutem planè neceſſaria, eodem Athanaſio teſte in fine Symboli: *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſq; fideliter firmiterq; crediderit, ſalvus eſſe non poterit.* Sed dicat mihi velim Calixtus, ubinam in Scriptura omnes iſtæ particulæ ita clarè, dilucidè & evidenter reperiantur, ut ſimpliciter audiviſſe ſufficiat. Spiritum Sanctum à Patre procedere,

lego quidem disertè in scripturâ, i at à Filio procedere, locus evidens & perspicuus, qualem requirit Calixtus, afferri nunquam poterit.

i *Ioanis 15. 26.*

XVI.

Quanquam hæc non eò dico, quòd in præsenti controversiâ clarus Scripturæ textus nos deficiat. Dedimus suprà ex libro II. Mach. verba adeo perspicua, ut planè de errore convicti essent Adversarij, nisi divinam libri illius auctoritatem vocarent in dubium. Quid? quòd ille ipse Apostoli locus, quo de nunc agimus, quantum quidem ad præsens institutum attinet, clarissimus sit. Etenim etsi difficulter intelligatur, quis qualisve opera nostra per ignem probandi modus futurus sit, quòd tamen peractâ quomodocunque probatione, mercedem accepturi sint, quorum opera inventa fuerint solida; eos autem, quorum opera deprehensa vana fuerint, salvandos quidem, sed priùs castigatos, ex textu prorsus manifestum est, ita ut cuivis inspicienti facilè pateat, duplex salvandorum genus poni ab Apostolo. Vnum eorum, qui suorum operum, quæ planè aurea & argentea fuerunt, mercedem plenam accipient. alterum eorum, qui propter aliquam vanitatem doctrinæ vel operibus admixtam, salvabuntur quidem, sed non sine aliquâ castigatione. Nihil hic obscurum, nihil difficile, clara, dilucida & perspicua omnia.

XVII.

Respondent deinde Adversarij, citatum Apostoli locum nihil favere Purgatorio Papistico vel Pontificio, k nam I. inquiunt, *Pauli ignis est metaphoricus*, id quod indicat tum Phrasis, οὕτω δὲ ὡς διὰ πυρὸς, sic tamen quasi per ignem

ignem, tum series contextus, reliqua enim omnia ibidem, architectus, aurum, argentum, lignum, fœnum, stipulæ, sunt metaphorica, *ignis autem purgatorius secundum Pontificios non est metaphoricus*. 2. Ignis Pauli non punit, sed probat & examinat directè & per se opera; Ignis autem Purgatorius secundum eosdem est vindicativus, & affligit ipsum operantem, seu animam operantis. 3. Ignis Pauli communis est omnibus omnino operibus, bonis & malis, ait enim, *uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit*; in igne autem purgatorio animæ à solis malis operibus expurgantur. Deniq; ignis Paulinus non operatur nisi in die extremi judicij, ut totus contextus ostendit; at ignis purgatorius non purgat animas, nisi ante diem judicij, in die autem extremi judicij cessabit & finem habebit.

k *Calixt. th. 53. Croc. controv. 8. de purg. sect. n. 11. 12. 13.*

XIIX.

Vt hæc ex fundamento solvantur, videndum quid nomine Ignis toties repetito intelligat Apostolus. Et quidem quod ad illa verba attinet, *uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit*, communior interpretum expositio est, quam etiam probant Adversarij, & nominatim Calixtus in suis thesibus, ignem ab Apostolo sumi tropicè pro igne severi & stricti judicij Dei, juxta illud Prophetæ Dan. 7. *Fluvius igneus egrediebatur de ore ejus.* Iste ignis examinabit opus cujusque; *si cujus opus manserit*, id est, si cujus opus judicium Dei sustinere poterit, sicut aurum sustinet ignem, is *mercedem accipiet*; si verò cujuspiam *opus arserit*, id est, si cujus opus judicium Dei non sustinuerit, sicut fœnum & stipula non sustinent ignem, detrimentum patietur, id est, punietur, ipse autem, qui tale opus operatus est, *salvus erit, sed tamen quasi per ignem.* Hic jam quæ-

stio est, quid in hisce postremis verbis nomine ignis intelligat Apostolus. Nos de vero & materiali igne cum SS. Patribus & communi Doctorum ea interpretati sumus, nec tanti sunt Calixti aut Crocij objectiunculæ, ut ideo nos ab ista sententia dimoveri patiamur.

XIX.

Quod enim sic argumentantur, in reliquis omnibus est metaphora, ergo èt in ultimis illis verbis, *ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, frivolum prorsus est. Nam cùm de operibus & igne circa ipsa aliquid moliente agitur, non potest oratio non esse metaphorica, quia opera nullius actionis igneæ capacia sunt; at quando oratio mutatur, & expresse agitur de ipso operante, quid tropo opus est, ut intelligas, hunc salvandum, sed priùs igne punitum? Nec novum aut insolens in scripturâ, vocem aliquam eodem in loco aliter atque aliter usurpari, & ab una significatione transiri ad aliam. Sic Christus loquens mulieri Samaritanæ Ioannis 4. à potu aquæ materialis transit ad potum aquæ divinæ gratiæ. Ioannis 6. à manducatione materiali panum in deserto ad manducationem sui ipsius per fidem, imò ad panem Eucharisticum. Ioannis 13. à lotione pedum materiali, quam Petrus admittere nolebat, ad lotionem animæ spiritualem, *Nisi lavero te*, &c. Estque eâ in re singularis sæpè elegantia & emphasis, unde & Apostolus Paulus frequens eo loquendi genere utitur, ut 2. Cor. 5. v. ult. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum*, id est, victimam piacularem *fecit*. Et Rom. 8. 3. *de peccato damnavit peccatum*. Ita in præsenti ab igne severi judicii, quo dicit cujusque opus probandum esse, aurúmne fuerit, an stipula, transit ad ignem verum materialem Purgatorii, quo dicit puniendum eum hominem

minem, cujus opus per severum divinum judicium repertum fuerit minùs solidum, seu instar stipulæ.

XX.

Nec terrere debet quempiam particula QVASI, quia (ut rectè observat Bellarminus *l*) illa non urget similitudinem ignis, sed rei transeuntis per ignem, ut sit sensus, qui fœnum aut stipulam superædificat, ad salutem quidem perveniet, sed ad eum modum perveniet, quo pervenit ad locum aliquem is, qui per ignem transit. Id quod porrò declarat alio simili exemplo Ioannis 1.14. ubi dicitur, *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre*, id est, vidimus eum gloriosum ad eum modum, quo decet gloriosum esse unigenitum Patris filium.

l tom. 1. controv. 6. lib. 1. c. 6.

XXI.

Atque ex his facilis nunc ad argumenta reliqua est responsio. Ad secundum dico, Paulum utriusq; ignis mentionem facere; probantis quidem & examinantis opera, cùm ait, *cuiusq; opus, quale sit, ignis probabit*; punientis verò & affligentis ipsum operantem, in illis verbis, *salvus erit, sic tamen quasi per ignem*: eò enim spectat vocabulum græcum, ζημιωθήσεται, id est, mulctabitur, vel pœnas dabit. Ad tertium eodem modo, ignis ille probans communis est omnibus, non item hic puniens, sed pro iis solis, qui aut in verbis, aut in operibus vanitatem aliquam sectati fuerint. Ad quartum respondeo, falsum esse, ignem Pauli non operari nisi in die extremi judicii. videtur enim Apostolus per diem Domini intelligere diem judicii tum particularis, tum universalis; siquidem in utroque illuminabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur consilia cordium, in utroque patebit uniuscujusq; opus,

quale fuerit, in utroque mercedem accipiet, qui solidum opus habuerit; qui verò vanus repertus fuerit, in neutro salvabitur, nisi priùs purgatus: hoc tamen discrimine, quòd in judicio universali (regulariter) salvabitur ut is, qui peracto in fine vitæ examine particulari operum jam per ignem transivit, in particulari verò non salvabitur, nisi priùs per ignem transeat. Nihil ergo prohibet, postrema illa Apostoli verba de vero & materiali igne intelligi. Quod si qui Patres aliter aliquando interpretantur, sensum tantùm accommodatitium, & metaphoricum sequuti sunt, non sensum literalem & rigorosum, qui dogma fidei stabiliat.

XXII.

Tertium fundamentum pro igne purgatorio sumitur ex illo 1 Cor. 15. *Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgant?* Quem locum plurimi sic interpretantur, ut *baptizari pro mortuis* dicant idem esse, quod spontaneas afflictiones suscipere pro defunctis orando, ieiunando, corpus castigando, &c. quæ si rectè & laudabiliter fiant pro iisdem, utique erit locus aliquis, ubi ista mortuis prodesse possint. Calixtus duo contra hunc Pauli locum movet. 1. quærit, unde constet, *baptizari pro aliquo* idem esse, ac spontaneas afflictiones alicujus nomine suscipere, sive propter alium se affligere, cùm nusquam scriptura sic loquatur. Petit 2. quomodo in isto sensu resurrectionem mortuorum probare potuerit Apostolus. Neque enim sequitur; Christiani offerunt Sacrificium, orant, ieiunant, affligunt se in gratiam animarum in purgatorio: ergo erit resurrectio.

XXIII.

Miror hic Calixtum. Cur enim quærit, quod in Bellarmi-

larmino, quem refutare se velle profitetur, non legisse non potuit? sanè is non uno exemplo ostendit, baptizari non rarò accipi pro affligi. Et ex Scriptura quidem adfert illud Luc. 12, 50: *Baptismo habeo baptizari.* Et rursus illud Marci 10, 38: *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Addit deinde passim Patres meminisse baptismi lachrymarum, pœnitentiæ & afflictionis: Ita Cyprianus: *lachrymis se baptizat.* m Ita Greg. Nazianz. *Quartum baptisma, quod per martyrium & sanguinem fit, scio & quintum lachrymarum & pœnitentiæ.* n

m in serm de cœna Domini n orat. de Epiph.

XXIV.

Ad alterum ejusdem postulatum respondeo, optimè verò Apostolum ex illo antecedente ad resurrectionem mortuorum arguere. Pro quo nôsse debuerat Calixtus, quæstiones de resurrectione & immortalitate animorum ita fuisse connexas inter se tempore Apostolorum, ut pro unâ eâdemque haberentur: hinc qui negabant unum, negabant & alterum, ut Sadducæi; & qui unum fatebantur, fatebantur & alterum, ut Pharisæi Act. 23. Nec immeritò. cùm enim anima rationalis sit vera forma corporis, & proinde vera pars hominis, non est verisimile, Deum voluisse, eam in æternum manere superstitem, neque unquam suo iterum uniri corpori. Eâdem de causâ Christus Matth. 22. probaturus Sadducæis resurrectionem mortuorum, utitur hoc Scripturæ testimonio: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob:* & subjungit; *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Ex quibus inferre contendit, ergo mortui resurgent. Quæ illatio nulla esset, nisi supponatur quæstionem de immortalitate animorum, & de resurrectione corporum pro unâ & eadem

eadem accipi. Quare eodem modo rectè hîc ex eo, quòd Christiani piè & laudabiliter affligant se pro animabus in purgatorio laborantibus, intulit Apostolus, animas post mortem superstites esse, nec interire cum corpore, & consequenter fore aliquando resurrectionem mortuorum. Simile est illud 2 Machab. 12,14. *Nisi enim eos qui ceciderant, resurrectûros speraret*, hoc est, nisi animam post separationem à corpore existimaret manere superstitem, *superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.* Atque hæc ex Scripturâ Sacra attulisse sufficiat.

XXV.

Iam si etiam introspicere libuerit, quis Ecclesiæ Veteris Orthodoxæ eâ in re sensus fuerit, planè triumphant Catholici; vix enim ulla hâc tempestate est fidei controversia, quæ pluribus iisque clarioribus antiquitatis testimoniis stabiliri queat, quàm de purgante hoc igne, deque precibus mortuorum causâ profusis, quas cum Aërius olim impugnâsset, hæreseos nomine damnatus fuit. o Sed antequam testimonia illa in medium proferam, non possum, quin Calixti verba hic adscribam. Is in thesibus suis ita loquitur: *Quod ad Ecclesiæ testificationem attinet, etiam illâ destitui doctrinam de purgatorio, deinceps brevibus ostendemus; Veteris, inquam, illius Ecclesiæ, quæ quinque prioribus à Christo nato seculis vsque ad Gregorium I. fuit. Huius enim temporibus in Ecclesiam latinam inuehi cœpisse iam tum concessimus.* p Ego verò ostendam Calixtum aut ignorantem esse, aut minùs sincerè veritatem datâ operâ dissimulâsse, ne quid dicam gravius.

o *Aug. lib. de hæres. hær. 53.* p *Calixt. th. 62.*

XXVI.

Et quidem quis Ecclesiæ antiquioris sensus fuerit, non

non possumus, opinor, aliunde id commodiùs, quàm ex Veterum Sanctissimorumq; Patrum elucubrationibus edoceri, quorum alij ignem purgatorium disertè asserunt, alij testantur suo tempore preces & sacrificia pro mortuis offerri consuevisse. Prius illud facit inprimis Theodoretus, qui omnium Græcorũ nomine, ita censet: τοῦτο τὸ πῦρ πιστεύομεν, ἐν ᾧ καθαρίζονται αἱ ψυχαί, ὡς χρυσίον ἐν τῷ χωνευτηρίῳ, hoc est, illum ignem credimus, in quo animæ ut aurum in fornace probantur. q Idem clarissimis verbis tradit Gregorius Nyssenus: *Vel*, inquit, *in præsenti vita precibus sapientiæq; studio purgatus, vel post obitum per expurgantis ignis fornacem expiatus, ad pristinam vellet redire felicitatem.* Et rursum: *Non poterat à corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit.* r Consentit Augustinus: *Qui agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habebit in hâc vitâ maledictionem terræ suæ, & post hanc vitam habebit vel purgatorium ignem, vel pœnam æternam.* ſ Similia leges apud Gregorium Nazianzenum, Hieronymum, quem suprà attulimus, & alios. Vnum insignem locum adijcio ex Cypriano qui alludens ad dictum illud Matth. 5. & Luc. 12. *Esto consentiens adversario*, &c. sic loquitur: *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgâsse.* t Quid verò ad hæc Calixtus? novo & inaudito interpretandi genere per *carcerem, ignem, purgationem* ait intelligi pœnitentiam publicam, seu satisfactiones Canonicas, quas Ecclesia olim

q *in Epist. 1. ad Cor.* r *orat. pro mortuis.* ſ *lib. 2. contra Manich. cap. 20. in fine.* t *Epist. 2. lib. 4.*

pro gravioribus delictis injungebat. At quis unquam audivit ejusmodi satisfactiones carcerem appellari? Apage cum isthac tam detortâ interpretatione. Longè planior sensus erit, si de loco, ubi animæ post mortem flammis expiantur, accipias.

XXVII.

Aliorum Patrum Auctoritatem ut elidat Calixtus, ait Gregorium Nyssenum in Origenis errorem incidisse, qui docebat damnatos omnes post diu toleratas pœnas infernales tandem salvandos esse. Addit idem sensisse Hieronymum de damnatis saltem Christianis. Verùm per meram calumniam hos tales errores Viris illis Sanctis impingit, nec probare id unquam poterit. Nam licet de Gregorio Nysseno Græcos quosdam in libello de Purgatorio testes laudet, eorundem tamen auctoritas meritò in hoc genere suspecta est. Sed nec ita sentire potuit Gregorius, nisi secum ipse pugnet. nam alibi apertè docet, supplicium impiorum æternum esse, & nullum peccatores habere aditum ad bona justorum. Cum Hieronymo multò adhuc agit iniquiùs Calixtus. Quid enim ille de Origenis errore senserit, non uno in loco clarè edisserit, præsertim verò Epist. 59. ad Avitum & Epist. 65. ad Pammachium & Oceanum, ubi vehementer eo nomine invehitur in Origenem, nec ullam pro eo admittit excusationem. Rursus eundem errorem impugnat in cap. 3. Ionæ; & in Apologiâ Ruffini lib. 1 circa finem. Et quod potissimum est, lib. 2. contra eundem non longè à principio se ipsum defendit contra calumniam Ruffini, qui eundem errorem ipsi Hieronymo tribuebat (uti nunc facit Calixtus) propter ea, quæ super Epistolam ad Ephesios referendo potiùs, quàm asserendo vel approbando scripsit, ut ipse declaravit. Quæ

declaratio

declaratio ad alia similia loca, ut in cap. 1 & 2. If. & Dial. 1 contra Pelag. applicanda est. Vnde alijs in locis, ubi Hieronymus indicat, pœnas inferni esse temporales, de pœnis Purgatorij intelligi debet, uti eundem exponit Sixtus Senensis, lib. 6 Biblioth. annot. 290.

u *Calixt th. 69. & 70.*

XXIIX.

De Augustino concedit Calixtus, *ei non impossibile tale, vel simile visum fuisse animarum Purgatorium, quale credunt Pontificij; interim nihil eum definire*, ait, *sed intelligentiores & doctiores, ut audiat, optare*u. Fallit in hoc iterum Calixtus, nec unquam ostendere poterit, Augustinum de Purgatorij existentiâ fuisse dubium: contrarium enim patet partim ex assertione nostra 14. & 26. partim patebit ex sequentibus. Solùm ergo dubitavit de modo & qualitate pœnarum. Ita lib. 21. de Civitate Dei cap. 26. dubitat num ignis purgatorius idem in substantiâ sit cum igne gehennæ. Ita in Enchir. cap. 69. dubitat, an post hanc vitam urantur animæ igne illo doloris amissione temporalium, quo uri hic solent, cùm rebus valde sibi caris carere coguntur. Ipsum verò esse Purgatorium, nunquam vocavit in dubium. Videatur Bellarminus l. c. lib. 1. cap. 11. in fine.

XXIX.

Cæterùm ex his illud etiam satis apparet, quàm malitiosè agat Calixtus, dum unâ ex parte ad venerandam antiquioris Ecclesiæ authoritatem provocat, ex alterâ verò, si quæ Veterum Patrum proferantur testimonia, ait eos aut in turpissimo versatos fuisse errore, aut certi nihil affirmare voluisse. Quid isthoc homine facies? undenam melius de primitivæ Ecclesiæ sensu constare poterit, quàm ex eorum scriptis, qui tum in Ecclesiâ cum laude

floruerunt? Aut si ipsi errores tradiderunt, cur nemo sese ijs opposuit? cur nemo contradixit, ut in alijs contra fidem erroribus semper factum vidimus? Rem dicam. Videri vult Calixtus antiquissimorum, Sanctissimorumque Patrum canitiem venerari, at reâpse Calvinum Hæresiarcham imitatur, cui cùm obijceretur, ante mille & trecentos annos usu receptum fuisse, ut precationes fierent pro defunctis, *imperitiæ vulgi* id totum tribuit, x imò Patres ipsos in errorem abreptos contendit. Lepidum sanè negotium! quod videlicet tot sanctissimis doctissimisque Viris testibus illius ætatis Ecclesia tunc docuit universa, id non nisi vulgus imperitum primi illius temporis tenuisse, aut erroneum fuisse, quis credat?

x *Calu lib. 3. instit. cap. 5. §. 16.*

XXX.

Agedum Calixte, alteram nunc testium classem advocemus, eorum scilicet, qui preces & sacrificia jam inde ab Apostolorum temporibus pro vitâ functis magnâ cum religione in Ecclesiâ fieri consuevisse testati sunt. Quanquam quid eâ re opus est? Calixtus enim testimoniorum à Bellarmino alijsque citatorum multitudine obrutus fateri cogitur, *antiquam Ecclesiam pro defunctis, eorumq; animabus deprecari solitam*; imò ultro largitur, *tertio quartoq; seculo & deinceps hunc morem propemodum universaliter obtinuisse, ut non in funeratione solùm, sed anniversariâ etiam die orationes & oblationes pro mortuis fierent.* y Ex hoc tamen negat rectè confici, dari purgatorium, eò quòd orationes istæ fierent *pro ijs, qui essent in cælo, seu quorum animas jam in Paradiso & sinu Abrahæ requiscere crederent.* z Idem sentit & Crocius. Probant hoc 1. quia Vetus Ecclesia orabat

y *Calixt. th. 62.* z *ibid.*

etiam

etiam pro *Patribus*, *Patriarchis*, *Prophetis*, *Apostolis*, *Evangelistis*, *Martyribus*, quos in Purgatorio laborâsse, nemo dicet. 2. ex Canone Romano Missæ, in quo hodiedum legitur: *Memento Domine Famulorum, famularumq; tuarum, qui nos praecesserunt in signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Et paulo pòst; *Et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis & pacis, ut indulgeas.* Si dormiunt, si quiescunt, non ustulantur in furno purgatorij 3. ex facto Ambrosij, qui oravit pro Gratiano & Valentiniano fratribus, pro fratre suo Satyro, pro Theodosio, quos tamen in paradiso & beatitudine collocat. Nihil, ergo, inquiunt, illæ antiquorum orationes patrocinantur Purgatorio Papistico. Quòd si roges, quorsum denique spectaverit ille orandi ritus, diversimodè respondent Adversarij. Calixtus ita censet; *Veterem Ecclesiam hoc fecisse ex fervente Charitate, ut demonstraret, quantoperè desideraret eos comparticipes esse salutis illius æternæ, ad quam & ipsa toto pectore anhelaret.* Alias caussas plures adfert Crocius, a sed eæ aut futiles sunt, aut crassos errores sapiunt.

a *Croc. loco cit. sect. 1. n. 20. & seqq.*

XXXI.

Quam in omnem se partem versant Novatores, ut telum hoc ex venerandâ petitum antiquitate nobis è manibus extorqueant! Non facient tamen. Etenim duobus modis preces & sacrificia pro defunctis offerri possunt. 1. ut Deum ijsdem ratione peccatorum in hac vita commissorum reddamus propitium. 2. in laudem & gratiarum actionem pro gratiâ & gloriâ, quam ipsi adepti jam sunt, ut vicissim pro nobis orent. Hoc posteriori modo oramus pro SS. Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, quos credimus conspectu divino nunc in cœlis frui; priori verò

pro animabus in Purgatorio. Audiant, si malint, Sanctissimum Præsulem Augustinum. *Ad ipsam mensam,* (Altare) inquit,, *non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios defunctos, qui in pace requiescunt.* b Et paulo post: *Non sic Martyres commemoramus, ut etiam pro ijs oremus, magis ut ipsi orent pro nobis.* Quam differentiam ipse alibi clarius exprimit, cùm dicit, *preces nostras, cùm pro beatis funduntur, esse gratiarum actiones: pro ijs, qui purgantur igne, propitiationes: cùm pro reprobis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt.* c

b *tr. 84. in Ioan.* c. *Enchir. c. 110.*

XXXII.

Porrò licitè pro ijs etiam defunctis, qui nondum beati sunt, orari posse, ut pœnas peccatorum ijsdem remittat Deus, imò sic antiquitus in Ecclesia oratum fuisse, superest ut ostendamus. Istud enim est, quod negant Adversarij. Clemens Romanus sic loquitur. *Oremus pro fratribus nostris, qui in Christo requieverunt, ut Deus, qui animam defuncti suscepit, remittat ei omne peccatum.* d Magnus Dionysius non tam Græciæ lumen, quàm orbis terrarum, (cujus autoritatem contra Bezam aliosque Novatores defendit Gretserus e) funeris pompam & Cæremonias describens, quem etiam ritum ab Apostolis manâsse contendit, inter alia hæc habet: *Accedens deinde venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit,* & mox; *precatur oratio illa divinam Clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumq; in luce statuat & regione vivorum.* f Idem viduæ cuidam suadet Tertullianus: *pro animâ ejus* (conjugis defuncti) *oret, & refrigerium interim adpostulet ei.* g

d *lib. 5. Apost. const. cap. 4.* e *in defens. Bellar. c. 7. lib. 4.* f *de Eccles. Hier. cap. 7.* g *lib. de monogamiâ ultra medium.*

XXXIII.

XXXIII.

Tres alios testes adjungo omni exceptione majores. Primus sit Cyrillus Hierosolymitanus, Vir disertus, & in rerum cœlestium cognitione apprimè versatus, is ad rem nostram sic scribit: *Sacrificium hoc offerimus, ut meminerimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis Sanctis Patribus & Episcopis. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio, Sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, Sacrificij.* Et quibusdam illustrationis causâ interjectis: *Ad eum modum & nos precationes pro defunctis adhibentes, quamvis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.* h Secundus est S. Epiphanius Constantiæ in Cypro Episcopus. Verba illius sunt: *Pro justis & pro peccatoribus memoriam facimus; pro peccatoribus quidem Misericordiam Dei implorantes, pro justis verò & Patribus, & Patriarchis, &c. ut Dominum nostrum Iesum Christum ab hominum ordine separemus, per honorem, quem ipsi exhibemus, & ut adorationis ipsi præstemus, &c.* i Tertius est S. Ioannes Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus: *Eum qui pro civitate totâ, quid dico, civitate? imò pro universo terrarum orbe legatus intercedit, precatorq́ est apud Deum, ut hominum omnium, non viventium modò, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat, qualem esse oportet?* k

h *Catech. 5. mystag.* i *hæresi 75.* k *lib. 6. de Sacerdotio.*

XXXIV.

Accedat denique à nobis sæpius in hac controversiâ lau-

laudatus testis Augustinus: *Orationibus Sanctæ Ecclesiæ* (inquit) *& Sacrificio salutari* (notet hic pius lector sacrificium salutare expresse distingui à precationibus & Eleemosynis, contrà ac volunt Novatores) *& Eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum ijs misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt.* l Et quæ illa misericordia potest esse alia, quàm pœnarum temporalium relaxatio? Idem Augustinus alibi, postquam narrâsset, quæ in funere Matris suæ Monicæ accidissent, *cùm offerretur pro eâ sacrificium pretij nostri*, mox deprecatur Deum pro peccatis ejusdem, petitque ut ei ex Misericordia dimittat debita, si quæ fortè contraxisset per tot annos post aquam salutis, pro-ut ipsa etiam memoriam sui post obitum ad Altare fieri desideraverat. m Et licet desiderium istud S. Monicæ *anile votum* appellet Calvinus, id tamen pias mentes movere nihil debet. Sanè qui duo illa S. Augustini capita legere voluerit, videbit luce clariùs, eum non aliâ intentione pro defunctis orâsse, quàm etiamnum orent hodie Catholici, ut scilicet Deus propitius illis sit, & à cruciatibus ac doloribus liberatos ad gaudia æterna admittat. Denique hi omnes, quos attulimus, in primo, secundo, tertio & quarto vixerunt seculo, ad quos si posteriorum quoq; temporum testimonia adijcere liberet, planè infinitum foret. Eat itaq; nunc Calixtus, & dicat doctrinam de Purgatorio Ecclesiæ antiquioris testificatione destitui.

l *lib. 9. Conf. cap. 12.* m *ib. cap. 13.*

XXXV.

Illa verò interpretatio Crocij (quam sicut & multa alia à Molinæo suo mutuatus est) dicentis Veteres quidem petijsse pro defunctis remissionem peccatorum, non eorum

rum

rum tamen, *quæ hic dimissa non sunt; sed eorum, quæ hic dimissa*; illa, inquam, interpretatio (si quidem de remissione quoad omnem pœnam sermo sit, uti ex mente Crocij esse debet) frigida est, pro gratiâ enim jam obtentâ Deum precari non solemus, sed gratias potiùs agimus, ut bene ostendit Forerus noster in refutatione ejusdem Molinæi. n Et certè sollicitudo Augustini pro defunctâ matre, uti et reliqua à nobis citata testimonia longè aliud indicant. Minùs obstant illa verba Canonis, ubi defuncti, pro quibus orat Ecclesia, dicuntur *dormire in somno Pacis, & requiescere.* Quis enim adeò est imperitus, ut nesciat nomina *somni, Pacis & quietis* variè accipi? Mors cujuscunque hominis, etiam damnatorum, respectu futuræ resurrectionis, somnus quodammodò dici potest; atque adeò dormiunt damnati, non tamen in Pace, quia spem salutis non habent. o Animæ verò fidelium in purgatorio, quæ in gratiâ Dei, & communione Ecclesiæ Catholicæ decesserunt, propter debitum solummodò pœnæ temporalis aliquamdiu à gloriâ arcentur, quam illâ exsolutâ certò adepturos se sciunt: ac proinde ratione futuræ salutis minimè anxiæ sunt aut dubiæ, sed in Dei voluntate cum bonâ animi sui pace conquiescunt. Hâc ergo de caussâ rectè de ijs dicit Ecclesia, *qui dormiunt in somno pacis*, hoc est, in communione Ecclesiæ, in gratia Dei, & in certitudine vitæ æternæ, licet adhuc temporali aliquo cruciatu affligantur. S. Ambrosius verò tametsi Theodosium, Satyrum, &c. gaudijs æternis jam frui consideret, quia tamen eâ de re certus omnino non erat, meritò Deum precari potuit, ut æternam illis requiem seu beatitudinem largiretur.

n 1.p.tom.3.antiq.Pap.lib.7.c.1.n.7. o Aug.serm.32.de verbis Apost.

XXXVI.

Ex his judicari jam cupio, quàm verè scripserit Calixtus, p Purgatorij doctrinam, temporibus Gregorij primi, qui in sexto vixit seculo, in Ecclesiam latinam invehi cœpisse. quomodo item hoc cohæreat cum eo, quod scripserat suprà, q ubi fatetur, jam tum Augustini tempore in latinam Ecclesiam irrepere cœpisse, quem ducentis propè annis Gregorium præcessisse, ex annalibus notum est. Quanquam ne tum quidem doctrina illa recens & nova esse potuit, tum quia Patres, quos citavi, longè Augustino antiquiores sunt, tum quia qui vel obiter Augustinum inspexit, ignorare non potest, quantus novitatum hostis extiterit, & quanto semper studio hæreticis omnibus antiquitatem & receptam in Ecclesiâ consuetudinem opposuerit. Quis igitur credat, eum in re tanti momenti nunc ita suimet oblitum fuisse, ut sententiæ novæ ipse subscriberet? Quin imò S. Augustinus de hâc ipsa novitate satis seipsum purgat, dum ait consuetudinem sacrificium pro mortuis offerendi à Patrum traditione manâsse. Verba accipe: *Hoc enim à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro ijs, qui in Corporis & Sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur ac pro illis quoque id offerri commemoretur.* r Locum similem citavi suprà. f

p *th. 62.* q *th. 11.* r *serm. 34. de verbis Apost.* f *Assert. 6.*

XXXVII.

Crocius ut ab Augustini auctoritate se expediat, ait, *aut* eum *errasse, aut universæ Ecclesiæ titulo non complecti ætatem Apostolorum. Horum enim tempore*, inquit, *Ecclesia Christi non oravit pro defunctis. Nec secundo seculo, quod con-*

stet.

ſtet. Sub finem ejus Tertullianus omnium primus illarum precum meminit. t quod poſtremum totidem verbis affirmat etiam Molinæus. u Ego verò citiùs Crocium cum Molinæo ſuo errare crediderim, quàm Auguſtinum. Res ipſa per ſe loquitur. Error inprimis eſt, Auguſtinum nomine Eccleſiæ univerſæ non comprehendere ætatem Apoſtolorum; quomodo enim univerſa, ſi unam aliquam eandemque præcipuam excludat partem? Error, Apoſtolorum tempore Eccleſiam non oráſſe pro defunctis. Contrarium patet ex antiquiſſimis eorundem Liturgijs, ac inprimis D. Petri, D. Iacobi, quam Synódus Conſtantinopolitana 150. Patrum ut genuinam & authenticam approbavit. D. item Matthæi, D. Andræ. D. Marci, in quibus omnibus leguntur orationes pro defunctis. Et confirmat illud idem S. Chryſoſtomus. *Non temerè*, inquit, *hæc ab Apoſtolis ſancita fuerunt, ut in tremendis myſterijs defunctorum agatur commemoratio.* x Et alibi: *Non fruſtra ab Apoſtolis ſancitum, ut in celebratione venerandorum myſteriorum memoria fieret eorum, qui hinc diſceſſerunt.* y Error denique, Tertullianum primum omnium precum illarum meminiſſe. Nam Clemens Romanus & Dionyſius, quos citavimus, primo etiam ſeculo floruerunt. Sat iſta de ſenſu Eccleſiæ primitivæ.

t *loco ſæpius cit. ſect. 1. n. 15.* u *in nov. Pap. fol. 612.* x *hom. 69. ad pop. Antioch.* y *hom. 3. in epiſt. ad Phil.*

XXXIIX.

Rationes pro eâdem doctrinâ de Purgatorio ex duplici fundamento peti ſolent. 1. ex eo, quod remiſsâ culpâ non ſemper remittatur tota pœna peccatis debita. 2. ex peccatis venialibus. Vtrumque impugnant Adverſarij. Ac primum illud quidem ajunt omnino eſſe impoſſibile,

nec intelligi posse, remissa esse peccata, nisi simul remissa sit omnis pœna peccatis debita. Ita loquitur Calixtus, z nec dissentit Crocius. At si ita est, cur cùm Deus Idololatriæ facinus, Moyse deprecante, populo condonâsset, addit nihilominus, se *in die ultionis peccatum visitaturum?* a Cur cùm Moysi & Aaroni crimen infidelitatis admissum ad aquas contradictionis remisisset, morte puniti sunt temporali, ne promissâ regione fruerentur? b Cur cùm Nathan divinæ mentis interpres Davidi dixisset, *Transtulit Dominus peccatum tuum*, Rex tamen idem posteà morte filioli alijsque gravibus incommodis afflictus fuit, propter perpetratum cum Bethsabee flagitium? c Cur post numeratum ab eodem Davide populum, & condonatum hoc peccatum, adhuc audit idem Rex, *Trium tibi optio datur* &c. d Cur inquam memorantur hæc omnia, si unà cum culpâ omnis semper pœna remittitur?

z *th.32.* a *Exod.32.34.* b *Num.20.12.Deut.32.49.* c *2.Reg.12.13.* d *2. Reg.24.12.*

XXXIX.

Dicunt Scripturam loqui de pœnâ impropriè dictâ, seu correctivâ, quæ infligitur à Deo, ut Patre, non in vindictam peccati commissi, sed in cautelam & remedium futurorum, aut ad absterrendos à talibus peccatis alios; non verò de pœnâ propriè dictâ, quam Deus infligit ut Iudex, ut vindicentur peccata præterita. Verùm uti duplex hoc pœnarũ genus lubentes agnoscimus (ut proinde operosâ illa Calixti probatione minimè opus fuisset) ita absolutè negamus, eo solo priori genere hominem post condonatum peccatum à Deo corripi. Nam si justè licet Regibus post capitalem culpam reis condonatam, levem tamen adhuc pœnam illis statuere, qualis est carcer

ad ali-

ad aliquod tempus, exilium aut mulcta pecuniaria, cur justè à Deo fieri negabimus, si cùm admiranda illa suâ misericordia culpam delet, testificandæ justitiæ causâ pœnam aliquam restare patiatur? In quem finem nominatim expendo illud, quod de punitione Davidis attuli. Cùm enim Scriptura causam illius exprimit, non dicit, ne iterum pecces, aut ne peccent alij, sed *quia blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi morietur.* Idem indicant verba illa paulò antè citata: *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Patet ergo factum in vindictam peccati præteriti.

XL.

Quod autem Adversarij existimant intelligi non posse, quomodo remissâ culpâ remaneat pœna aliqua propriè dicta, quâ peccatum præteritum, quod dimissum jam est, vindicetur ac puniatur, in hoc vehementer ipsi errant. Theologi rectè sentientes sic statuunt, sicuti ex quolibet peccato actuali duplex in homine nascitur reatus culpæ & pœnæ, ita duplex quoque in Deo resultare jus adversus eundem hominem. Vnum ad condignè habendum odio ipsum peccatorem, seu ad justam & rationabilem ab ipso aversionem & indignationem ratione offensæ seu culpæ. Alterum ad condignè puniendum eundem juxta debiti gravitatem. Quæ duo jura uti reipsâ distincta sunt, ita potest Deus cedere uni, retento altero. Et tametsi de facto in justificatione peccatoris nunquam Deus renuntiet juri, quod habet ad odium ejusdem, quin simul cedat juri suo, quod habet ad puniendum morte æternâ, nihil tamen obstat, quo minùs sibi reservet adhuc jus ad pœnam aliquam temporalem. Nec ulla in hoc apparet contradictio.

XLI.

Repugnantiam ostendere quidem conatur Calixtus in remissione peccati tam habitualis, quàm originalis, e sed in ipsis fundamentis gravissimè hallucinatur. Nam 1. peccatum habituale essentialiter constituit partim in pravâ illa proclivitate seu habitu per frequentes actus vitiosos acquisito, partim in reatu sive obligatione ad pœnam. Quæ doctrina non subsistit, tum quia licet impediretur generatio istius habitus, adhuc intemperans post compotationem aut comessationem maneret habitualiter peccator; tum quia habitus ille tollitur actibus contrarijs circa eandem materiam, & tamen peccatum habituale per ejusmodi actus deleri non potest, ergo in illa proclivitate ne partialiter quidem constitui potest essentia peccati habitualis. Accedit, quòd reatus ille seu obligatio ad pœnam, sit potiùs effectus quidam, seu quid consequens ad ipsam culpam, ideo enim homo dignus est pœnâ, quia contraxit culpam. Si meliùs instrui velit Calixtus, adeat Scholasticos Doctores in primam secundæ D. Thomæ, ubi de naturâ peccati habitualis fusiùs disputant. 2. ut idem ostendat in peccato originali, ait post Baptismum illud manere tam quoad materiale, quàm quoad formale, remitti ergo illud nihil aliud esse, quam reatum ejus tolli, hoc est, non imputari illud deinceps ad pœnam. Hoc demum est, quod intelligi non potest, si enim peccatum originale manet post baptismum tam quoad materiale quàm formale, verè manet in ratione peccati seu culpæ, cùm ad hanc nihil aliud, quàm illa duo requirantur, & tamen remittitur secundùm Calixtum obligatio ad pœnam, ergo condonare culpam & pœnam non sunt formaliter idem, ut somniat

Calixtus

Calixtus. Taceo doctrinam istam expressè repugnare scripturis, quæ dicunt per baptismum *destrui corpus peccati*, nos per baptismum *mundari, ablui, sanctificari, &c.* f Sed hæc obiter.

e ib. 32. f Rom. 6. 6. Eph. 5. 26. 1. Cor. 6. 11.

XLII.

Nec refert, quod scriptura dicat Deum, cùm peccata remittit, nolle eorum ampliùs recordari, ea non imputare, proijcere post tergum suum, vel in profundum maris, &c. g His enim tantùm significatur remissio peccati mortalis quoad culpam & pœnam æternam, non quoad omnem pœnam temporalem, ut sensus sit, nolle Deum recordari peccatorum, in ordine ad puniendum æternâ damnatione. Quo sensu etiam dicit Apostolus: *Nihil damnationis esse in ijs, qui sunt in Christo Iesu.* h hoc est, in ijs, qui jam per gratiam cum illo sunt uniti, nihil esse dignum odio, nihil dignum damnatione. Animæ autem, quæ in Purgatorio puniuntur, non dicuntur animæ damnatæ, sed potiùs esse in statu salutis, licèt habeant aliquod debitum pœnæ solvendæ. Cæterùm aliqua ratione Deum peccatorum etiam dimissorum recordari, constat manifestè ex testimonijs scripturæ suprà citatis, & præsertim ex illo Ex. 32. ubi Deus ipse disertè indicat, se nihilominus eatenus recordaturum illius peccati idololatriæ, *ut illud in die ultionis visitet.*

g Calixt. ib. 33. h Rom. 8. 1.

XLIII.

Quod autem prætereà Calixtus & Crocius ex epistolâ ad Hebræos afferunt, *Vbi peccatorum sit remissio, ibi nullam esse oblationem reliquam pro peccato,* i ad rem non facit. Nam

i Hebr. 10. 18.

Paulus

Paulus illud solum spectat, ut ostendat, nullas hostias Aaronicas, vel legales, quantumvis innumeras, sed unicam Christi in Cruce oblationem tollere & expiare omne peccatum. Hinc dicit, *Vbi autem* plena peccatorum est *remißio, jam non est* necessaria alia *oblatio pro peccatis*, intellige quâ novum rursus pretium illis remittendis comparetur, sed solùm necessaria est applicatio pretij per mortem Christi comparati, ut passim Patres & Doctores Orthodoxi explicant. Ex quo minimè sequitur, dimissâ culpâ & pœnâ æternâ, non posse remanere obligationem ad luendam pœnam aliquam temporalem. Patres ergo qui dicunt, *Exempto reatu, eximitur & pœna. Vbi venia, ibi nullum Supplicium vel pœna*; aut loquuntur de supplicio & pœnâ inferni, aut de remissione peccati ex omni parte perfectâ, quâ pœna omnis & æterna simul & temporalis condonatur, quod aliquando pro magnitudine contritionis vel dispositionis contingere nemo negat.

XLIV.

Instat iterum Crocius: Scriptura docet remissionem peccatorum esse gratuitam, k at non esset gratuita, si ex parte nostrâ opus esset aliquâ compensatione. Item scriptura docet, Christum cumulatissimè satisfecisse pro peccatis totius mundi, cujus satisfactio cùm sit infiniti valoris, non indiget nostrâ, ut plenè solvatur pro toto debito. l Quod sic confirmari potest: vel Christi satisfactio fuit sufficiens, vel non: si dicas non fuisse, detrahes honori & plenitudini satisfactionis Christi; si dicas fuisse, ergo nihil opus est nostrâ. At malâ omnino fide agit Crocius, qui his argumentis Becanum oppugnat, ejusdemque responsiones, quas in Manuali legerat, penitus dissimulat.

Audiat

Audiat ergo iterum vel invitus, quid ad iſta reſpondeant Catholici

k *Rom. 3. 24.* l *Croc. l.c. ſect. 4. n.9.*

XLV.

Ad primum concedunt illi quidem, remiſſionem peccatorum, quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ, merè eſſe gratuitam; ſiquidem purè gratis Deus confert homini gratiam juſtificantem, quâ filius & amicus Dei conſtituitur. Negant tamen ſemper gratis condonari omnem pœnam temporalem, ut patet ex exemplis ſuprà allatis Moyſis, Davidis & aliorum, qui poſt acceptam gratuitam remiſſionem peccatorum, adhuc temporali aliquâ pœnâ puniti ſunt Fundamentum alterum nimium probare ajunt. Oſtendunt in ſimili hâc ratione: Chriſtus ſine dubio oravit etiam pro nobis & remiſſione peccatorum, ſicut pro eâdem in Cruce ſatisfecit. Quidnî ergo ſic licebit argumentari? Vel Chriſti oratio ſufficiens fuit, vel non fuit ſufficiens: ſi hoc poſterius dicatur, detrahetur ſufficientiæ Orationis Chriſti, quæ non minùs infiniti valoris fuit, atque ipſa ſatisfactio Chriſti in Cruce; ſi illud prius, non opus erit oratione noſtrâ. Vt quid ergo quotidie oramus, *Et dimitte nobis debita noſtra, &c.* Fatemur itaque, merita & ſatisfactionem Chriſti ex ſe habere valorem infinitum, voluit tamen ipſe Chriſtus, ne nobis applicaretur iſte valor, niſi per talia media v.g. fidem, Sacramenta, ſatisfactiones proprias, &c. Voluit item, ut & nos mereremur & ſatisfaceremus per gratiam ab ipſo Chriſto nobis communicatam. Voluit denique ut non communicaretur ille valor ſuæ ſatisfactionis, niſi in tali vel tali menſurâ ab ipſo deſignatâ, atque adeò non ad omnes effectus, quos attentâ

virtute suorum meritorum & satisfactionum causare potuisset. Vnde illud in casu nostro non est ex defectu sufficientiæ operum Christi, sed quia ipsi Christo ad majorem utilitatem nostram visum fuit, non solùm per suam, sed etiam per satisfactionem nostram æterno Patri suo illud debitum solvere. Quemadmodum licet unica gutta Sanguinis Christi abundantissimè ad omne peccati debitum persolvendum potuisset sufficere, placuit tamen æterno Patri totum ipsius Sanguinem, omnia item ejus opera & mortem exigere, uti et Christus ipse per hunc tantum cumulum actionum & passionum suarum debitum illud voluit persolvere.

XLVI.

Ad alteram rationem nunc transeo, quam ex peccatis venialibus pro Purgatorio astruendo deducere solent Catholici. Hanc sic impugnant Adversarij, ut dicant, nullum dari pecccatum ex se & naturâ suâ veniale, sed peccatum omne æternâ damnatione dignum esse, etsi quædam dicantur venialia ab eventu, quia scilicet per Christi merita homini condonantur; aut non imputantur, ut fit in renatis. Verùm hæc doctrina manifestè repugnat Scripturæ, quæ in eximijs etiam justis salvâ eorundem justitiâ quædam agnoscit peccata, quod fieri nequaquam posset, si peccata omnia ex se & naturâ suâ mortem animæ vel privationem gratiæ inducerent. Huc facit inprimis illud sapientis: *Septies*, hoc est sæpius in die *cadet justus & resurget*, m Non dixit *Homo*, sed *Iustus*, ut intelligeremus noxas illas, de quibus loquitur, justitiam non exterminare, & proinde nævos esse quotidianos, sine quibus in hac tantâ imbe-

imbecillitate vitæ humanæ vivi non potest, ut explicant Augustinus, Gregorius, Chrysostomus n & alij.

m Prov. 24. 16. n Aug. serm. 58. de temp. xo. Greg. l. 8. in 1. Reg. 15. Chrys. hom. 12. in Epist. 1. ad Cor.

XLVII.

At inquit Crocius, quã sequelâ? *Septies in die cadet justus, & resurget, ergo peccata quadam justorum sunt in se venialia.* Ubi vis sequelæ? num in resurrectione, num in multiplici casu justi? si in resurrectione, ergo omnia peccata erunt venialia, à quibus resurgit peccator. Si in multiplici casu justi, ergo nulla peccata justorum merebuntur mortem, nulla excludent potentiâ gratiam. At hoc absurdum ipsorum Catholicorum judicio. Quis acumen hoc non miretur in Crocio? Dico vim sequelæ consistere in multiplici casu justi, non absolutè, sed ita, ut justus esse minimè desinat. quo sensu etiam illatio illa Crocij, *ergo nulla peccata justorum* (intellige quæ salva eorundem justitiâ ab ijsdem committuntur) *merebuntur mortem, nulla excludent potentiâ gratiam*, non absurda, sed verissima est omnium rectè sentientium judicio. Nec ullum agnoscimus discrimen inter peccata, quæ actu excludunt gratiam, & quæ potentiâ. Nihil ergo contra nos argutatione sua obtinet Crocius. Cæterùm à justo committi posse peccatum morte dignum, nemo negat, sed tum gratiâ excidet.

XLIIX.

Nec dicas justorum peccata ex sola Dei condonatione vel non imputatione fieri venialia. Contrà enim est, quòd etiam in impijs levia reperiantur, v. g. verbum otiosum, risus immoderatior, furtum unius obuli &c. quæ

ut ex parte objecti, fine & modo tendendi, alijsque circumstantijs non graviter offendunt Deum, ita non possunt dici digna odio Dei gravi & pœnâ æternâ. Alioqui non decerneret Christus leviores pœnas levioribus peccatis v. g. leviter irascenti pœnam judicij, dicenti verò fatue, pœnam gehennæ. o Et nonne Scriptura passim comparat peccata quædam rebus naturâ suâ levibus, ut ligno, fœno, stipulæ, p festucæ, q minuto debito, r culici? f

o *Matth. 5. 22.* p *1. Cor. 3. 22.* q *Luc. 6. 41.* r *Luc. 7. 41.* f *Matth. 23. 24.*

XLIX.

Et cur, quæso, quodvis peccatum ex se & naturâ suâ mortem æternam mereatur? an quia adversus infinitam Dei Majestatem admittitur? an quia per quodvis peccatum aliquis actus dilectionis Deo debitus subtrahitur? an quia omne peccatum est transgressio legis, atque adeò vi pacti legalis meretur maledictionem, juxta illud Apostoli: *Maledictus est omnis, qui non permanserit in omnibus ijs, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea?* An denique quia Servator noster infinitum redemptionis pretium pro peccatis omnibus, etiam venialibus obtulit? omnes quidem has rationes adfert Calixtus, u sed nulla intentum ipsius satis probat. Non 1. quia nihil impedit, infinitam Dei majestatem offendi etiam leviter ex levitate materiæ sive objecti, nisi fortè cum Stoicis velis contendere, omnia peccata esse æqualia, è quorum sententiâ Cicero in Paradoxis sic scrbit: *Siquidem est peccare, tanquam transire lineas: quod cum feceris, culpa commissa est, quàm longè progrediare, cùm semel transieris, ad augendam transeundi culpam*

t *Galat. 3. 10.* u *thes. 73.*

nihil

nihil pertinet. Et sane quis credat (ut cum eodem Oratore hoc dicam) *non minùs delinquere* mortaliter *eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quàm qui Patrem suffocaverit?* Non 2. quia præceptum dilectionis Dei cùm sit affirmativum non obligat pro omni tempore, non ergo quoties peccat aliquis, subtrahit actum dilectionis Deo debitum. Deinde faciamus actum dilectionis tunc esse debitum, adhuc tamen fieri potest, ut qui actu Deum diligit etiam super omnia, retineat simul affectum actualem ad peccatum aliquod veniale (possunt enim ista duo simul consistere) in quo casu non subtrahetur actus dilectionis Deo debitus. Non est ergo, unde quoduis peccatum habeat malitiam tam gravem, ut quantum est de se, damnationem æternam mereatur. Non etiam 3. quia non omnis transgressio legis meretur mortem, aut maledictionem, sed ea duntaxat, quæ simul est contra finem legis, qui est Charitas erga Deum, de quâ etiam violatione legis intelligi debent verba Apostoli à Calixto citata. Quòd si tamen nomen maledictionis sumatur paulò latiùs pro quovis malo, dici potest etiam eum, qui leviter violat legem Dei peccando venialiter, incurrere aliquam Dei maledictionem, eo ipso quòd obnoxius fiat malo alicujus pœnæ ex divina ordinatione. x Non denique quarta, etsi enim Christus de facto infiniti valoris pretium pro peccatis nostris omnibus tam venialibus quàm mortalibus Deo Patri persolverit, id tamen propter sola venialia minimè fuisset necessarium, unde ex eo non rectè colligunt Adversarij, omnia peccata ex se iram Dei gravem & mortem æternam promereri.

x *Valentia tom. 2. Theolog. disp. 7. quæst. 18. puncto. 1.*

L.

Atque ex his quæ hactenus diximus, nemini non liquet, frustra laborâsse Calixtum & Crocium, ut solidissima illa Catholicorum fundamenta, quibus doctrina de Purgatorio innititur, convellerent. Iuvat nunc loco coronidis dispicere breviter, quid Calixtus pro se suorumque sententia adferat. Summa hæc est: Scriptura duos tantùm mortuorum status memorat, salvandorum scilicet & damnandorum; y Idem faciunt Patres, qui primis quinque seculis vixerunt; z Denique ijdem passim inculcant statum post mortem, in quem quis semel devenerit, eundem manere, nec unquam mutari posse; a tantùm in hâc vitâ locum esse pœnitentiæ, post mortem nullum prodesse laborem, nec sperandam è pœnis liberationem. b Malè ergo Pontificij locum quendam tertium sive intermedium admittunt. Videamus singula.

y th. 21. z th. 23. a th. 24. b th. 25.

LI.

Argumentum à Scripturis petitum multis de causis infirmum est. Nam 1. jam supra ostendimus ex 1. Cor. 3. Apostolum duo salvandorum genera constituere, unum eorum, qui suorum operum, quæ planè aurea, argenteaque fuerunt, plenam mercedem acipient: alterum eorum, qui propter aliquam vanitatem doctrinæ vel operibus admixtam salvabuntur quidem, sed non nisi priùs per ignem castigati; quibus si addideris eos, qui propter opera sua planè perversa damnabuntur ad inferos, tres omnino mortuorum status secundum Scripturam constitui posse, fatearis necesse est. 2. verba Scripturæ non magis officere possunt Purgatorio, quàm offi-

ciant

ctiam loco illi, ad quem Sancti Patres ante Christi adventum descendebant, sive is sinus Abrahæ, sive limbus Patrum sive alio nomine appelletur. 3. si duo tantùm sint mortuorum status, cur Calixtus animabus defunctorum nec consummatam plenariamque beatitudinem, nec completam damnationem, ante resurrectionem obtingere arbitratur, sed mediâ viâ potiùs incedens in inchoatâ beatitudine piorum & in inchoata damnatione impiorum animas ad novissimum usque diem collocat? c Quid hoc aliud est, quàm tertium quendam mortuorum statum, qui medius appellari potest, invehere? 4. si quando Scripturæ duos tantùm mortuorum status videtur agnoscere, ut apud Matthæum, cùm dicit: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*, d intelligi debet de terminis ultimis, quibus vita adultorum in æternum terminabitur; sive de tempore post extremi judicij diem, tunc enim cessabit Purgatorium, & sola duo loca, cælum & gehenna remanebunt.

c *th. e.* d *Matth. 25. 46.*

LII.

Ad Patres verò, qui primis quinque seculis vixerunt, quod attinet, satis superque ostensum est suprà ab assertione 26. usque ad 38. exclusivè, eos tertium quendam locum, ubi animæ quorundam ad tempus crucientur, & viventium suffragijs ac sacrificijs juvari possunt, agnovisse, ut planè insanæ temeritatis sit, illud negare velle. Adducit quidem Calixtus illum Augustini ex serm. 232. de tempore: *Nemo se decipiat, fratres, duo enim sunt loca, & tertius non est ullus. Qui cum Christo regnare non meruit, cum Diabolo absque ullâ dubitatione peribit.* Hæc

tamen

tamen verba Adversariorum causæ nequaquam patrocinantur. Nam cùm Augustinus duo tantùm ait esse loca animabus destinata, & nullum tertium, de ijs solùm locis loquitur, in quibus anima finaliter & æternùm permanebit, non autem de loco illo intermedio, ubi ad tempus interdum detinentur animæ, & cœlo aptantur, id quod ex antecedentibus manifestè colligitur. Posteaquam enim Augustinus illa Apostoli verba attulisset, *Ebriosi Regnum Dei non possidebunt*, e mox ipse sibi sic objicit: *Sed dicet aliquis, Ego regnum Dei nolo, æternam requiem tantùm obtinere desidero.* Ad quod respondet deinde verbis paulò antè à Calixto citatis, ita ut sensus ab Augustino intentus necessariò sit iste, duo illa, quæ in objectione ponebantur, à se invicem separari non posse, cùm prorsus unum sint & idem, atque adeò qui vult unum, necessariò etiam velle alterum, & qui unum non vult, necessariò simul nolle èt alterum; siquidem sicuti regnum cœlorum & requies sempiterna in uno eodemque sunt loco, ita èt æterna & damnatio uno in loco reperiuntur, ut proinde rectè dicat Augustinus, duo tantùm esse loca, & nullum tertium, ubi anima in statu æterno perdurabit; Purgatorium verò non est status animæ æternus. Quæ omnia dextrè dissimulavit Calixtus, ut ne argumenti inanitas appareret. Cæterùm admisisse Augustinum tertium Purgatorij locum patet luce clarius ex testimonijs suprà allatis. f Duo nunc auctarij loco in Calixti gratiam adjungo ex serm. 41. de Sanctis, ubi sic loquitur: *Sed dicit aliquis, non pertinet ad me, quamdiu moras habeam, si tamen ad vitam æternam perexero. Nemo hoc dicat, fratres Charissimi.*

e 1. Cor. 6. 10. f *Assert. 26. & 34.*

quia

quia ille purgatorius ignis durior erit, quam qui potest in hoc seculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri. Et rursus: *Tam diu in illo Purgatorio igne moras habebimus, quàm diu suprà dicta minuta peccata, tanquam lignum, fœnum, stipula consumantur.* Falsum ergo omnino Augustinum hunc tertium locum negare voluisse.

LIII.

Similiter quando dicitur, statum post mortem eundem semper manere, nec unquam mutari posse, in eo sensu, quo loquuntur Patres, verissimum est, solùm enim volunt, eum qui in statu gratiæ & amicitiæ Dei decedit, ab eo statu excidere nunquam posse; contrà verò, qui decedit in peccato mortali & inimicitia cum Deo, nunquam eidem reconciliatum iri. Quod doctrinæ de Purgatorio minimè adversatur, uti nec illud Ecclesiastæ: *si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* g Dicimus enim eos etiam, qui ad Purgatorium pertinent, ad Austrum cecidisse, id est, ad statum salutis æternæ, & in eo statu perpetuò permansuros.

g *Eccl. 11. 3.*

LIV.

Nec magis nos urgent ij Patres, qui dicunt post mortem non esse locum pœnitentiæ & satisfactioni, nominatim S. Cyprianus, cujus hæc sunt verba: *Quando isthinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullius satisfactionis effectus.* h Et S. Chrysostomus: *Si modo diligentiam adhibebimus, cùm illic abierimus, nihil nobis ad satisfaciendum relinquitur.* Ista, inquam, & similia nihil nos urgent. Nam lubentes fatemur cum ijsdem Patribus post disces-

sum ex hâc vitâ nullam nos Deo pro peccatis nostris proprijs satisfactionem exhibere posse, unde qui Deo pro peccatis suis vult satisfacere, in hâc vita faciat, necesse est; animæ verò in Purgatorio non dicuntur propriè & in rigore satisfacere, sed potiùs satis patri, ut docent Scholastici. i Adde citatos Patres potissimùm agere de pœnitentiâ & remissione culparum mortalium, quam certum est in altero seculo locum non habere; aliud est de pœnâ temporali & culpa veniali, quæ interdum post mortem remanent.

h *Cypr. tract. 1. ad Demetrianum.* i *Chrys. hom. 71. in Matth. cap. 23. & hom. 2. de Lazaro.*

LV.

Nam adhuc Calixti fallaciam detego, ac finio, Ait is, Græcos nunquam dogma de Purgarorio admisisse, imò etiamnum hodie universam Ecclesiam Orientalem uno idanimo & voce explodere. k Vbi nunc Calixti sinceritas? legerat haud dubiè citatos pro Catholicorum doctrinâ à Bellarmino, l Dyonysium Areopagitam, Athanasium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nissenum, Ephræmum, Chrysostomum, Cyrillum, Epiphanium, Theodoretum, Oecumenium, Theophylactum, Damascenum, qui omnes Græci fuerunt. Fatetur deinde ipsemet, Episcopos Græcos omnes uno solo Marco Ephesino excepto in Concilio Florentino Ecclesiæ Latinæ eâ in re consensisse, & rectè, nam sessione primâ & ultimâ disertè affirmant, se perpetuò Purgatorium credidisse, & orationem pro defunctis, sed solùm ambigere de qualitate pœnæ, an scilicet ignis sit, an aliquid aliud. Denique quid etiamnum sentiant de Purgatorio,

patet ex Concilio haud ita pridem Anno 1639. Constantinopoli habito, in quo Episcopi Græci Cyrillum Lucarim, Patriarcham Constantinopolitanum inter alia etiam hoc nomine condemnârunt, quòd doceret, defunctis eleemosinas & Ecclesiæ preces non prodesse. Summum ergo, si jactetur, Græcos sensisse aliter ac Latinos, de particularibus quibusdam hominibus intelligendum erit. Præterea quæ Calixtus contra doctrinam de Purgatorio deblaterat, ut quòd sit fons & origo ingentium corruptelarum & abusuum, unde manârit *fœdum illud Indulgentiarum mercimonium*, m ut ipse loquitur, & plura talia meræ calumniæ sunt hominis Religionis Catholicæ odio plus æquo æstuantis, quæ probari nunquam poterunt. Deus ter Opt. Max. Adversarijs mentem restituat, ut depulsis errorum tenebris lucem Veritatis aspiciant tandem, & positis odijs unà nobiscum in unitatem fidei conspirent. Amen.

k *Calixt. th. 13.* l *Bell. lib. 1. de Purg. c. 6.* m *Cal. th. 24.*



EMENDANDA.

p.2.l.28. nec id *l.penult.* Animadversiones *p.5.l.14.pro colo scribe punctum.p.14.l.17.* thesi 26! *p.18.l.6.* confirmandam. *p.24.l.7.* propag. *p.32.l.7.* homini illi. *p.38.l.26.* deurenti. *p.39.l.16.* in fine. *p.44.l.16.* indicium. *l.20.* defunct. *l.antep.* Theophyl. *p.48.l.17.* concilio Basileensi exhibuit. *p.49.l.16.* supposititiis. *p.50.l.14.* mas, & à Cl. *p.51.l.5.* illum, *l.22.* Chiliast. *p.52.l.7.* XXXIV. *p.54.l.6.* ἄψ. *p.56. l.ult.* παλινῳδίαν. *p.74.l.25. pro* Constantinopoli *lege* Florentiæ. *p.76.l.14.* indicium. *p.77.l.4.* quam quod metum. *p.80.l.6.* persuasio de infall. *p.83. l.15.* meminiss. *p.86.l.10.* impeger. *l.16.* ὑμᾶς. *p.88.l.9.* Vsque. *p.89.l.15.* ex qua *p.102.l.7.* nobis *dele. l.24.* ὀκ. *p.109.l.23. & 24.* Theodotus. *Ib. in marg. l.4 & 5.* cum Tryph. *p.110, l.9.* τὸ *l.11.* πολλοί εἰσι *p.119.l.14.* Asiaticus. *p.122. l.10.* sententia *Ib. in marg. l.3.* Sozomen. *p.123.l.11. & 12.* etiam. *p.126. in marg. l.14.* Vide lib. Beati. *p.141.l.11.* prætend. *p.153.l.18.* aliunde. *p.160. in marg. l.3.* Os. c.7.

0056458822